An. et vol. CVIII 5 Augustii 2016 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

Quibus Beatae Euphrasiae a Sacro Corde Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino » (*Eph* 5, 19).

Hanc Apostoli hortationem Beata Euphrasia a Sacro Corde fecit suam, eo quod ea facta est motus totius vitae eius, ita ut illa vocaretur « Tabernaculum mobile » a consororibus propter suam devotionem suumque amorem erga Dominum Iesum, praecipue in Sancta Eucharistia praesentem.

Rosa Cherpukaran Eluvathingal nata est die XVII mensis Octobris in oppido *Kattoor* in regione *Trichur* civitatis Keralae in India. Novem annos nata, virginitatem suam dicavit Beatissimae Mariae, quae docuit eam Deum adorare omnibus et singulis horis simul cum angelorum choro. Cum pater eius voluerit eam in matrimonium collocare, mors eius sororis minoris natu adduxit eum ut eam in Collegium Sororum Carmelitarum in *Koonammavu* inscriberet. Infirma valetudine usa, bis coacta est ad domum revertere ut sanesceret, sed, post novem annis, potuit eandem communitatem religiosam denique introire. Divisione vicariatuum ritus syromalabarensis in

Kerala facta. Rosa, Episcopo Ioanne Menachery iubente, se contulit in *Ambazhakkad*, ubi primus conventus archidioecesis indivisae Trichuriensis fuit. Postulans facta est anno MDCCCXCVII, quo tempore accepit nomen Euphrasiae a Sacro Corde. Anno insequente habitum religiosum induit. Deinde die XXIV mensis Maii anno MCM, die videlicet dedicationis novi conventus in *Ollur*, vota sollemnia nuncupavit. Vita spiritualis eius necnon experientia mystica notae fuerunt confessario, Domino Joanni Menchery, Episcopi eius, qui iussit eam, per sanctam oboedientiam, eas experientias in libello scribere. Vota professa, nominata est adiutrix Magistrae Novitiarum, quo tempore ministerium praestabat etiam in valetudinario, ubi sorores aegrotantes diligenter curavit. Quattuor annis post ipsa nominata est Magistra Novitiarum, quo munere magna cum caritate et fortitudine diu functa est. Novem deinde post annis electa est Mater Superior Conventus Sanctae Mariae in *Ollur*. Veram quidem ostendit se matrem versus consorores et demonstravit se amorem praecipuum habere erga aegrotantes et debiliores. Tamquam Mater Superior reapse effecit quod docuit, sic exemplum praebens vitae sanctitatis, paenitentiae et orationis. Sancta Teresia Abulensis fuit ipsi primum exemplar fidei et, eam secuta, summa vitae spiritalis fastigia attinxit. Enimvero Dominus Iesus attribuit ei dona interiora extraordinaria. Devotio eius erga Sacratissimum Cor Iesu fuit flamma inestinguibilis cuius ardorem ea in cordibus consororum colendum etiam infudit. Solebat multas horas colloqui cum Domino, oblita omnino sui ipsius necnon omnium rerum circumstantium. Quotiens Sanctissimam Communionem recepit, cum gratias ageret Deo, in exstasim rapiebatur, revelationes ac visiones experiens. Saepe Passionem Christi meditabatur, se flagellabat et camisiam spinosam induere solebat. Mater Euphrasia ferventem coluit filialem devotionem erga Virginem Mariam, cuius intercessionem petebat per recitationem rosarii. Orationes quoque pro animis in purgatorio offerebat. Beata Euphrasia, suavem per odorem orationis experta est mysticam unionem cum Deo et Ei sanctam hierarchiam et Ecclesiam introduxit. Septuaginta vero et quinque annos nata, in morbum incidit et paulo post, die scilicet XXIX mensis Augusti anno MCMLII, mortem obivit, consororibus necnon omni populo Trichuriensi pie adstantibus.

Causa beatificationis incepta est anno MCMLXXXVII in Eparchia Trichuriensi, atque ipse beatificationis ritus peractus est die III mensis Decem-

bris anno MMVI in paroecia Sancti Antonii in *Ollur* civitatis Keralae. In conspectu canonizationis, quaedam mira sanatio infantis posita est deliberationi Sanctae Sedis. Perfecta deinde est die XXXI mensis Augusti anno MMXII Inquisitio Eparchialis, cuius acta transmissa sunt ad Congregationem de Causis Sanctorum. Die IV mensis Iulii anno MMXIII Consultores Medici eiusdem Congregationis hoc mirum factum scientifice inexplicabile declaraverunt, cui sententiae annuerunt etiam Consultores Theologi in Congressu Peculiari diei XXVII mensis Decembris anno MMXIII. In Sessione Ordinaria diei XVIII mensis Martii anno MMXIV Patres Cardinales et Episcopi hanc miram sanationem verum miraculum iudicaverunt, divinitus patratum per intercessionem Beatae Euphrasiae a Sacro Corde. Nos Ipsi iussimus Congregationem de Causis Sanctorum ut Decretum super miro promulgaret die III mensis Aprilis eiusdem anni. Deinde Nos, in Consistorio diei XII mensis Iunii anno MMXIV, canonizationem eiusdem statuimus agendam die XXIII mensis Novembris, die scilicet Sollemnitatis Domini Nostri Iesu Christi Universorum Regis, cuius celebrationi Nos Ipsi praesedimus in Basilica Petriana.

Hodie igitur hanc formulam inter Sacra protulimus:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum Consilio, Beatos Ioannem Antonium Farina, Cyriacum Eliam Chavara a Sacra Familia, Ludovicum a Casaurea, Nicolaum a Longobardis, Euphrasiam a Sacro Corde et Amatum Ronconi Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Videlicet vero summa sua perseverantia mulier haec Dei quae verbo docuit opere semper perfecit et, austeram sanctamque ducens conversationem, universis christifidelibus fuit speculum effulgens virtutum mira erga Sacratissimum Cor Iesu pietate suffultum, quas aemulantes in terris, tribuat Dominus, ut ipsi gaudiis cum ea perfruamur aeternis.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo et tertio mensis Novembris, anno Domini bis millesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 67.201

CONSTITUTIO APOSTOLICA

De vita contemplativa mulierum.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. VULTUM DEI QUAERERE per saecula solet humanum genus, ab initio ad amoris dialogum cum Creatore vocatum.[1] Etenim vir et mulier religiosam habent rationem quae deleri nequit quaeque corda eorum in Absoluti inquisitionem dirigit, Dei nempe, cuius – haud semper scienter – necessitatem percipiunt. Haec inquisitio omnes bonae voluntatis homines coniungit. Complures quoque, qui se non credere asserunt, hanc cordis altam cupiditatem fatentur animam incolentem ac permoventem cuiusque viri et mulieris qui felicitatem ac plenitudinem desiderant, quique ardentes numquam gaudio satiantur.

Sanctus Augustinus in *Confessionibus* hoc efficaciter protulit: «Fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te».[2] Quae cordis inquietudo oritur ex alta intuitione primum Deum esse qui hominem quaerit, eumque arcano ad Se attrahit.

Inquisitionis iter testatur neminem sibi ipsi sufficere atque imperat ut semitam calcantes sub fidei lumine e nobis, quibus omnia referimus, exeamus, Dei sancti Vultu attracti simulque «terra sacra quae alius est»,[3] ad altiorem communionem experiendam.

Haec peregrinatio in Deum verum quaerendum, quae cuiusque est christiani et cuiusque consecrati Baptismi virtute, agente Spiritu Sancto fit *sequela pressius Christi*, progressio conformationis ad Christum Dominum, quae peculiari efficacia per consecrationem religiosam exprimitur, ac singulari modo per vitam monasticam, ab origine consideratam uti praecipuum modum explendi Baptismum.

[1] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 19.
[2] I, 1, 1: *PL* 32, 661.
[3] Adh. Ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 169: *AAS* 105 (2013), 1091.

2. Personae consecratae, quae ob eandem consecrationem «sequuntur Dominum peculiari modo, modo prophetico»,[4] vocantur ad Dei praesentiae in vita cotidiana signa detegenda, ut sapientes fiant interlocutores qui interrogationes a Deo et hominibus nobis factas agnoscere valeant. Magna provocatio cuiusque consecrati viri et mulieris est facultas ut pergant Deum quaerere «fidei oculis in mundo illo, qui ipsius praesentiam ignorat»,[5] nostrae aetatis hominibus denuo proponendo Iesu vitam castam, pauperem oboedientemque tamquam credibile firmumque signum atque hoc modo fiant «vivens exegesis Verbi Dei».[6]

Ab ortu in Ecclesia singularis consecrationis vitae, viri mulieresque a Deo vocati eiusque amore ardentes suam exsistentiam vixerunt prorsus Vultum eius quaerentes, in mundi corde Deum reperire contemplarique cupientes. Communitates quae adsunt sicut civitates supra montem positae atque lucernae super candelabrum (cfr *Mt* 5, 14-15), quamvis in vitae simplicitate, visibiliter patefaciunt metam ad quam pergit universa ecclesialis communitas «quae in temporis itinere progreditur atque futuram recapitulationem omnium rerum in Christo continenter prospectat»,[7] hoc modo caelestem gloriam praenuntiantes.[8]

3. Si quidem pro cunctis consecratis peculiare habent pondus Petri verba: «Domine, bonum est nos hic esse» (*Mt* 17, 4), personae contemplativae, quae in alta communione universis cum ceteris vitae christianae vocationibus «radii sunt unici luminis Christi super faciem Ecclesiae resplendentis»,[9] «per peculiare charisma cotidie protracta temporis spatia impendunt imitationi Matris Dei quae in corde suo omnia verba et facta Filii sui assidue conferebat (cfr *Lc* 2, 19.51), et Mariae Bethaniae quae, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius (cfr *Lc* 10, 38)».[10] Earum vita, quae «abscondita est cum Christo in Deo» (*Col* 3, 3), ita fit Domini, primi contemplativi, amoris

[4] Ep. Ap. *Ad personas consecratas occasione Anni Vitae consecratae dicati* (21 Novembris 2014), II, 2: *AAS* 106 (2014), 941.

[5] Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 68: *AAS* 88 (1996), 443.

[6] Benedictus XVI, Adh. Ap. postsynodalis *Verbum Domini* (30 Septembris 2010), 83: *AAS* 102 (2010), 754.

[7] Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59: *AAS* 88 (1996), 432.

[8] Cfr *CIC* can. 573 § 1.

[9] Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 16: *AAS* 88 (1996), 389.

[10] Benedictus XVI, Adh. Ap. postsynodalis *Verbum Domini* (30 Septembris 2010), 83: *AAS* 102 (2010), 754.

sine condicionibus exemplar, cunctam earum vitam in Christum, praecipuum occupantem locum, vergentem indicat, usque adeo ut cum Apostolo dicere possint: «Mihi vivere Christus est» (*Phil* 1, 21), ac indolem universalem exprimit quae alte permovet vocationem ad vitam contemplativam.[11]

Sicut viri mulieresque humanam historiam incolentes, contemplativi, fulgore Christi attracti qui «speciosus forma est prae filiis hominum» (*Ps* 45, 3), collocantur in ipso corde Ecclesiae et mundi[12] ac reperiunt in Deo requirendo, quod numquam completur, praecipuum signum et criterium authenticae formae suae vitae consecratae. Sanctus Benedictus, Pater monachorum occidentalium, asserit monachum esse hominem qui totam per vitam Deum quaerit, atque apud eum qui vitam monasticam adfectat postulat ut probetur «si revera Deum quaerit».[13]

Praecipue complures mulieres consecratae, saeculorum decursu usque ad nostram aetatem, dirigebant et etiam hodie «vitam suam totam navitatemque informant ad Dei contemplationem»,[14] uti signum et prophetiam Ecclesiae virginis, sponsae et matris; signum vivum memoriamque fidelitatis qua Deus, per historiae eventus, populum suum sustinere pergit.

4. Vita monastica, unitatis elementum aliis cum christianis confessionibus,[15] constituitur propria ratione quae est prophetia et signum quaeque «omnia Ecclesiae membra ad officia vocationis christianae impigre adimplenda efficaciter attrahere potest ac debet».[16] Orantium communitates, et praecipue quae contemplationi dicantur, quaeque «a mundo seiunctae penitius sociantur cum Christo, orbis terrarum corde»,[17] haud prae se ferunt Evangelii formam perfectiorem efficere, sed, Baptismi postulata complentes, instantiam discretionis et ad universae Ecclesiae ministerium appellationis constituunt: quod signum iter indicat, perquisitionem, totum Dei populum recordans primum et novissimum sensum illius quod ille vivit.[18]

[11] Cfr Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 18: *AAS* 88 (1996), 391-392.

[12] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 44; Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 3.29: *AAS* 88 (1996), 379.402.

[13] *Regula* 58,7.

[14] Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 8: *AAS* 88 (1996), 382-383.

[15] Cfr Id., Ep. Ap. *Orientale lumen* (2 Maii 1995), 9: *AAS* 87 (1995), 754.

[16] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 44.

[17] Benedictus XVI, Adh. Ap. postsynodalis *Verbum Domini* (30 Septembris 2010), 83: *AAS* 102 (2010), 754.

[18] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 5.

Existimatio, laus et gratiarum actio pro vita consecrata et vita contemplativa monastica

5. Inde a primis nempe saeculis Ecclesia manifestavit magnam aestimationem sinceramque dilectionem erga viros mulieresque qui, Patri vocanti moventique Spiritui obsequentes, Christum «pressius»[19] sequi elegerunt, ut Ipsi sese devoverent indiviso corde (cfr *1 Cor* 7, 34). Amore sine condicionibus in Christum et homines permoti, praecipue in pauperes et patientes, vocantur variis speciebus – ut virgines consecratae, viduae, eremitae, monachi et religiosi – ad terrestrem vitam Iesu casti, pauperis et oboedientis referendam.[20]

Vita contemplativa monastica, cuius potissimum partes primas agunt mulieres, in claustri silentio radices egit gratiae et misericordiae pretiosos fructus generans. Vita mulierum contemplativa constituit semper in Ecclesia et pro Ecclesia cor orans, quod gratuitam rationem copiosamque apostolicam fecunditatem custodit, atque visibilis arcanae et multiformis sanctitatis fuit testis.[21]

A primigenia experientia singulari virginum Christo consecratarum, quae orta est sua sponte tamquam fructus necessitatis Christi Sponsi amori amore respondendi, mox transitum est ad statum definitum adque ordinem ab Ecclesia approbatum, qui coepit virginitatis professionem publice prolatam suscipere. Labentibus saeculis maior pars virginum consecratarum simul convenit, generans species coenobiticae vitae, quas Ecclesia sua sollicitudine custodire consuevit congrua disciplina, in qua clausura inclusa erat tamquam custodia spiritus finisque prorsus contemplativi quem haec coenobia sibi proponebant. Temporis nimirum decursu, per synergiam inter actionem Spiritus, qui in credentium cordibus operatur et iugiter novas sequelae species concitat, et per maternam sollertemque Ecclesiae curam fingebantur vitae contemplativae et integre contemplativae species,[22] quas hodie novimus. Dum in occidentalibus partibus spiritus contemplativus in multiplicia charismata est dispertitus, in orientalibus autem servavit conspicuam unitatem,[23] semper utique testificationem praebens de vitae omnino Deo dicatae divitiis et pulchritudine.

[19] *Ibid.*, 1.

[20] Cfr Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 14: *AAS* 88 (1996), 387.

[21] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 46; Id., Decr. *Christus Dominus*, 35; Id., Decr. *Perfectae caritatis*, 7. 9; *CIC* can. 674.

[22] Cfr *CIC* can. 667 § 2-3.

[23] Cfr Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Orientale lumen* (2 Maii 1995), 9: *AAS* 87 (1995), 754.

Progredientibus saeculis harum sororum experientia, ad Dominum uti primum et unicum amorem (cfr *Os* 2, 21-25) directa, copiosos sanctitatis et missionis fructus generavit. Quanta apostolica vis e monasteriis manat per orationem et oblationem! Quantam laetitiam et prophetiam claustrorum silentium clamat ad mundum!

Pro sanctitatis et gratiae fructibus, quos per monasticam mulierum vitam Dominus iugiter suscitavit, « Altissimo, omnipotenti, bono Domino » hymnum gratitudinis extollimus verbis: « Laudatus sis ».[24]

6. Carissimae sorores contemplativae, sine vobis quid fit de Ecclesia iisque qui in humani generis peripheriis vivunt vel qui in evangelizationis anterioribus stationibus operantur? Ecclesia magni aestimat vestram vitam plane traditam. Ecclesia confidit vestrae orationi et vestrae oblationi ad ferendum nostrae aetatis hominibus bonum Evangelii nuntium. Ecclesia indiget vobis!

Haud facile fit ut hic mundus, dumtaxat eius magna pars quae potestatis, oeconomiae et rerum consumendarum immodicis rationibus paret, peculiarem vestram vocationem et absconditam missionem intellegat, etiamsi eadem maxime indiget. Sicut nauta in alto versans lumine indiget quod ei cursum indicet ad portum remeandi, ita mundus vobis indiget. Estote lumina, proximis ac potissimum longinquis. Estote faces quae comitantur homines temporis nocte obscura ambulantes. Estote matutini custodes (cfr *Is* 21, 11-12) qui annuntiant solem orientem (cfr *Lc* 1, 78). Vita vestra transformata verbisque simplicibus, in silentio ruminatis, indicate nobis Eum qui est via, veritas et vita (cfr *Io* 14 ,6), unum Dominum qui offert nostrae exsistentiae plenitudinem atque vitam abundantius dat (cfr *Io* 10, 10). Clamate nobis sicut Andreas Simoni: « Invenimus Dominum » (cfr *Io* 1, 41); annuntiate, sicut Maria Magdalene resurrectionis mane: « Vidi Dominum! » (*Io* 20, 18). Exsistentiae vestrae donatae vivam tenete prophetiam. Nolite timere vitae evangelicae gaudium vivere secundum vestrum charisma.

Ecclesia comitatur et ducit

7. Conciliorum et Pontificum Magisterium semper peculiarem sollicitudinem ostendit de omnibus vitae consecratae formis per magni momenti documenta. Inter haec singularem animi intentionem merentur magna documenta Concilii Oecumenici Vaticani II: Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium* et Decretum de renovata vita religiosa *Perfectae caritatis*.

[24] Cfr Franciscus Assisiensis, *Canticum fratris solis*, 1.

Primum quidem collocat vitam consecratam pro ecclesiologia populi Dei, ad quem iure meritoque pertinet, ob communem vocationem ad sanctitatem obque ipsius radices in consecratione baptismali.[25] Alterum autem postulat a consecratis renovationem ad mutatas temporum condiciones aptatam, huiusmodi renovationis offerens criteria quae neglegi non possunt, quae sunt: fidelitas Christo, Evangelio, suo cuiusque charismati, Ecclesiae et homini hodierno.[26]

Oblivisci non possumus Adhortationem apostolicam postsynodalem *Vita consecrata* Decessoris Nostri sancti Ioannis Pauli II. Hoc documentum, quod divitias Synodi Episcoporum de vita consecrata colligit, continet usque admodum valida elementa ad vitae consecratae renovationem prosequendam eiusque corroborandam evangelicam hodiernis temporibus significationem (cfr praesertim nn. 59 et 68).

Sed ne ex memoria quidem deponi possunt, ad constantem et illuminantem comitationem demonstrandam quae vestram vitam contemplativam insignivit, documenta quae sequuntur:

– Normae directivae a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae (CIVCSVA) *Potissimum institutioni* editae die II mensis Februarii anno MCMXC, ubi ampla spatia dicata sunt vestrae formae praecipue contemplativae vitae consecratae (cap. IV, 78-85).

– Documentum interdicasteriale *Sviluppi*, die VI mensis Ianuarii anno MCMXCII foras datum, quod ostendit quaestionem paucas esse vocationes ad vitam consecratam generaliter et, minore gradu, ad vestram (n. 81).

– *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, promulgatus per Constitutionem ap. *Fidei depositum* die XI mensis Octobris anno MCMXCII editam, qui maximi est momenti ut omnes christifideles cognoscant et intellegant vestram formam vitae: praecipue nn. 915-933 dicati cunctis formis; n. 1672 de vestra consecratione non sacramentali deque benedictione Abbatum et Abbatissarum; n. 1974 una cum n. 2102 de coniunctione inter decem mandata et professionem consiliorum evangelicorum; n. 2518 qui ostendit artum vinculum inter cordis puritatem in sexta Beatitudine proclamatam, quae visionem Dei spondet, et amorem erga fidei veritates; nn. 1691 et 2687 qui extollunt perseverantem intercessionem ad Deum elevatam in monasteriis contemplativis, locis nempe quae substitui nequeunt ad personalem orationem cum communicatis precibus

[25] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 44.

[26] Cfr id., Decr. *Perfectae caritatis*, 2.

conciliandam; et n. 2715 qui ponit, tamquam contemplativorum condicionem, contuitum in Iesum versum et in vitae eius et ministerii mysteria.

– Instructio CIVCSVA *Congregavit nos*, data die II mensis Februarii anno MCMXCIV, quae in nn. 10 et 34 coniungit silentium et solitudinem cum altis exigentiis communitatis vitae fraternae atque extollit congruentiam inter segregationem a mundo et cotidianam condicionem animi attentionis.

– Instructio CIVCSVA *Verbi Sponsa, Eccclesia*, edita die XIII mensis Maii anno MCMXCIX, quae in artt. 1-8 offert miram synthesim historicam systematicam totius anterioris supremi Magisterii de monialium contemplativarum vitae claustralis missionario eschatologico sensu.

– Instructio denique CIVCSVA *Ripartire da Cristo*, die XIX mensis Maii anno MMII publici iuris facta, quae enixe invitat ad Christi vultum semper contemplandum; moniales monachosque exhibet in fastigio laudis choralis orationisque silentis Ecclesiae (n. 25), eodemque tempore eos laudat quia semper praecipuum locum liturgiae Horarum et celebrationi eucharisticae tribuerunt (ibid.).

8. Quinquaginta post annis a Concilio Oecumenico Vaticano II exacto, post debitas consultationes et attentum iudicium, necessarium Ecclesiae praebere putavimus, praecipue quod ad monasteria ritus Latini attinet, hanc Constitutionem Apostolicam, quae consideraret tum operosum et fecundum iter factum ab Ecclesia ipsa superioribus decenniis, sub lumine magisterii Concilii Oecumenici Vaticani II, tum mutatas condiciones sociales et culturales. Hoc enim tempore historia humana celeriter progressa est: opportunum est cum ea dialogum instituere qui tamen observet praecipua bona super quae posita est vita contemplativa, quae suas per instantias silentii, auscultationis, revocationis ad interiorem rationem, stabilitatis, potest ac debet quandam provocationem constituere hodierno cogitandi modo.

Hoc Documento cupimus Nostram utique aestimationem confirmare, una simul tota Ecclesia gratum animum significante, pro singulari *sequelae Christi* forma quam moniales vitae contemplativae agunt, quae haud paucis mulieribus est vita prorsus contemplativa, donum inaestimabile cui renuntiari non debet quod Spiritus Sanctus usque concitat in Ecclesia.

In casibus ubi est necessarium vel opportunum, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae ponderabit quaestiones, ex communi consensu Congregationis pro Evangelizatione Gentium necnon Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus.

Elementa praecipua vitae contemplativae

9. Vita contemplativa, a primis saeculis usque ad nostram aetatem, semper viva in Ecclesia mansit, in successione annorum magni vigoris et senescentis aetatis, ob constantem Domini praesentiam, cum facultate coniunctam ipsius Ecclesiae propria renovandi et accommodandi se ad societatis mutationes: semper illa vivam servavit vultus Dei inquisitionem et amorem sine condicionibus erga Christum, veluti suum singulare et peculiare elementum.

Vita consecrata historiam constituit amoris ardentis erga Dominum et homines: in vita contemplativa haec historia evolvitur, die post diem, per ferventem vultus Dei inquisitionem, in intima cum Eo necessitudine. Christo Domino, qui « prior dilexit nos » (*1 Io* 4, 19) atque « tradidit seipsum pro nobis » (*Eph* 5, 2), vos mulieres contemplativae oblatione respondetis totius vestrae vitae, in Ipso viventes et pro Ipso, « in laudem gloriae eius » (*Eph* 1, 12). Hac in dynamica contemplationis vox estis Ecclesiae quae indefesse pro toto genere humano laudat, gratias agit, gemit et supplicat, et cum vestra precatione ipsius Dei adiutrices estis et ineffabilis corporis eius cadentium membrorum sublevatrices.[27]

A prece personali et communitatis, vos Dominum reperitis veluti vestrae vitae thesaurum (cfr *Lc* 12, 34), vestrum bonum « omne bonum, summum bonum », vestram « divitiam ad sufficientiam »,[28] atque, certitudinem in fide habentes « Deum solum sufficere »,[29] optimam partem elegistis (cfr *Lc* 10, 42). Vitam vestram tradidistis, prospectum vestrum in Dominum intuentes, in cellam secedentes vestri cordis (cfr *Mt* 6, 5), in solitudine habitata monasterii atque in vita fraterna in communitate. Hoc modo imago estis Christi qui in monte occursum quaerit cum Patre (cfr *Mt* 14, 23).

10. Ecclesia saeculorum decursu semper nobis Mariam veluti *summam contemplatricem*[30] significabat. Ab annuntiatione ad resurrectionem, per fidei peregrinationem sub pedibus crucis culminatam, Maria in contemplatione manet Mysterii quod eam incolit. In Maria iter mysticum intuimur personae consecratae, in humili sapientia firmatae quae mysterium gustat ultimae consummationis.

[27] Cfr Clara Assisiensis, *III Epistola ad sanctam Agnetem de Praga*, 8, *FF*, p. 2276.

[28] Franciscus Assisiensis, *Laudes Dei altissimi*, 3. 4, *FF*, p. 47.

[29] Teresia a Iesu, *Obras completas. Poesías*, Editorial Monte Carmelo, Burgos 2011, 1368.

[30] Cfr Dionysius Cartusianus, *Enarrationes in cap. 3. Can. Cant.* XI, 6, in *Doctoris Ecstatici D. Dionysii Cartusiani Opera Omnia*, VII, Typis Cartusiae, Monstrolii 1898, 361.

Exemplum sequens Virginis Matris, persona contemplativa illa est quae Deum praecipue considerat, est illa pro qua Deus est *unum necessarium* (cfr *Lc* 10, 42), prae quo omnia reducuntur quia novis oculis inspiciuntur. Persona contemplativa pondus rerum intellegit, sed illae eius cor non rapiunt neque eius claudunt mentem, immo scalas constituunt ad Deum assequendum: totum pro illo «defert significationem»[31] de Altissimo! Qui in mysterium contemplationis immergitur, cum oculis spiritualibus videt: hoc ei contemplari Dei intuitu mundum et personas sinit, illic autem ubi alii «oculos habent et non videbunt» (*Ps* 115, 5; 135, 16; cfr *Ier* 5, 21), quia oculis carnis inspiciunt.

11. Contemplari igitur sibi vult habere in Christo Iesu, qui vultum habet constanter ad Patrem conversum (cfr *Io* 1, 18), conspectum actione Spiritus transfiguratum, conspectum in quo stupor floret de Deo eiusque mirabilibus; sibi vult mentem claram habere, in qua vibrationes Verbi resonant atque vox Spiritus sicut «sibilus aurae tenuis» (*1 Reg* 19, 12). Non fortuitu contemplatio ex fide nascitur, quae contemplationis est ianua et fructus: tantummodo per «ecce me» confidens (cfr *Lc* 1, 38) unus ingredi in Mysterium potest.

Hac in silenti quiete et electa mentis et cordis variae temptationes insinuari possunt, quapropter vestra contemplatio fieri campus certaminis spiritualis potest, quod vos audaciter in nomen sustinetis atque in beneficium totius Ecclesiae, quae vos vigiles cognovit fideles, fortes et in certamine tenaces. Inter temptationes contemplativi insidiosissimas, illam memoramus a deserti patribus «daemonium meridianum» appellatam; est temptatio quae in apathiam illabitur, in suetam operandi rationem, in animum demissum, in segnitiam corripientem. Sicut scripsimus in Adhortatione apostolica *Evangelii gaudium*, hod paulatim ducit ad «psychologiam tumbae, quae gradatim christianos in cadavera medicata musei transformat. Spe a rerum veritate destituti, ab Ecclesia vel a semet ipsis, constantem vivunt temptationem subdulcis tristitiae, sine spe, quae cor dominat veluti “pretiosissima inter potiones medicatas daemonii”».[32]

Argumenta prout obiectum discriminis et revisionis dispositivae

12. Ad iuvandas contemplativas ut proprium assequantur propositum peculiaris suae vocationis supra descriptae, invitamus ad consideranda et discernenda sequentia duodecim argumenta vitae consecratae in universum et,

[31] Franciscus Assisiensis, *Canticum fratris solis*, 4, FF, p. 40.
[32] N. 83: *AAS* 105 (2013), 1054-1055.

potissimum, traditionis monasticae: institutio, precatio, verbum Dei, Eucharistia et Reconciliatio, vita fraterna in communitate, autonomia, foederationes, clausura, labor, silentium, instrumenta communicationis et ascesis. Haec argumenta penitus explanabuntur cum modis propriis secundum peculiares traditiones charismatum diversarum familiarum monasticarum, in harmonia cum dispositionibus Partis finalis huius Constitutionis et cum indicationibus accommodatis peculiaribus quae dabuntur quam primum a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae.

Institutio

13. Institutio personae consecratae iter constituit quod ad configurationem cum Domino Iesu adducere debet atque assimilationem eius sensuum sua in plena oblatione Patri; de processu agitur qui numquam ad finem adducitur, ad inficiendam in profunditate totam personam destinato, ut omnes eius agendi modus et gestus plane laeterque manifestent ad Christum ipsam personam pertinere, et quam ob rem continuam postulat ad Deum conversionem. Is ad cor, mentem et vitam formandam tendit, integritatem rationis humanae, culturalis, spiritualis et pastoralis faciliorem reddens.[33]

Peculiari modo, institutio personae consecratae contemplativae ad aequam tendit condicionem communionis cum Deo cumque sororibus, intra spatium silentii a clausura cotidiana protecti.

14. Deus Pater est potissimum institutor, sed hac in opera "opificis" mediationibus humanis utitur, institutoribus et institutricibus, fratribus et sororibus maioribus, quorum praecipua missio est ostendere « Domini sequelae pulchritudinem atque charismatis praestantiam in quo ipsa explicatur ».[34]

Institutio, peculiari modo illa perpetua, exigentia intrinseca propter consecrationem religiosam,[35] suam habet humum in communitate atque in vita cotidiana. Hanc ob rationem memorent sorores locum ordinarium in quo iter institutionis evenit monasterium esse atque vitam fraternam in communitate, omnibus in suis manifestationibus, debere eiusmodi itineri favere.

15. Considerato nostrae aetatis contextu sociali, culturali et religioso, monasteria prudentem dent operam vocationi spiritalique rei discernen-

[33] Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 65: *AAS* 88 (1996), 441; *CIC* can. 664.

[34] Cfr *ibid.*, 66: *AAS* 88 (1996), 442.

[35] Cfr *ibid.*, 69: *AAS* 88 (1996), 444; cfr *CIC* can. 661.

dae, nulla temptatione numeri et efficacitatis admissa;[36] personalem foveant comitatum candidatarum et pro iis apta promoveant institutionis itinera, firmiter tenentes quod prima institutio et illa post temporariam professionem «temporis spatium satis amplum obtinere debet»,[37] si fieri potest, non minus novem annis, neque plus duodecim.[38]

Precatio

16. Precatio liturgica et personalis est exigentia fundamentalis ad alendam vestram contemplationem: si «precatio est "medulla" vitae consecratae»,[39] plus etiam est vitae contemplativae. Hodie plurimi orare nesciunt. Multi simpliciter desiderium non percipiunt orandi vel suam necessitudinem cum Deo ad supplicationem diminuunt temporibus difficultatis, cum nesciunt quem invocent. Alii suam orationem ad simplicem laudem reducunt temporibus felicitatis. Recitantes et cantantes laudes Domini in Liturgia Horarum, vos estis etiam illarum personarum vox et, sicut prophetae fecerunt, pro omnium salute interpellatis.[40] Precatio personalis vos iuvabit ut coniunctae cum Domino maneatis, sicut palmites cum vitibus, et ita vestra vita feret fructum multum (cfr *Io* 15, 1-15). Memineritis tamen vitam precationis atque vitam contemplativam agi non possunt veluti cogitatio de vobismet ipsis, sed aperire cor debent ad totam humanitatem amplectendam, potissimum illam quae dolet.

Per precationem intercessionis, vobis est praecipuum munus in Ecclesiae vita. Oratis et interpellatis pro tot fratribus et sororibus qui in custodia tenentur, pro migrantibus, perfugis, persecutione vexatis, pro tot familiis vulneratis, pro illis qui sine opere sunt, pro pauperibus, pro aegrotantibus, pro victimis subiectionum, ut quasdam significemus condiciones quae unoquoque die urgentiores fiunt. Vos estis sicut illi qui paralyticum ad Dominum detulerunt, ut eum sanaret (cfr *Mc* 2, 1-12). Per precationem vos, die ac nocte, Domino vitam tot fratrum sororumque admovetis qui diversas ob condiciones non possunt eum assequi ad eius vivendam sanationis mi-

[36] Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Ripartire da Cristo. Un rinnovato impegno della vita consacrata nel Terzo Millennio* (19 Maii 2002), 18.

[37] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 65: *AAS* 88 (1996), 441.

[38] Cfr *CIC* cann. 648 § 1 et 3; 657 § 2.

[39] *Salutatio in concludenda Sancta Missa*, 2 Februarii 2016, *L'Osservatore Romano*, 4 Februarii 2016, p. 6; cfr *CIC*, can. 673.

[40] Cfr Conc. Oecum. Vat. II. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 83; *CIC* cann. 1173; 1174 § 1.

sericordiam, dum Ille eos exspectat ut ipsis gratiam offerat. Cum vestra precatione sanare valetis tot fratrum plagas.

Contemplatio Christi in Virgine Maria suum insuperabile invenit exemplar. Vultus Filii ipsi singulari pertinet titulo. Mater et Magistra perfectae cum Filio conformationis, sua exemplari et materna praesentia magni est subsidii in cotidiana orationi fidelitate (cfr *Act* 1, 14), potissimum filiali.[41]

17. Liber Exodus demonstrat nobis Moysem qui sua precatione sortem decernit sui populi, cum victoriam ei in inimicum praestet, dum levatas manus tenere valet ad invocandum Domini auxilium (cfr 17, 11). Hic textus Nobis apparet veluti imago lucidissima roboris et efficacitatis vestrae precationis pro toto humano genere et Ecclesia, potissimum pro eius membris debilioribus et egentioribus. Etiam hodie, sicut tunc temporis, cogitare licet humani generis sortes in corde oranti decerni et in manibus levatis contemplativarum. Ecce cur vos adhortamur ut fideles sitis, secundum vestras Constitutiones, orationi liturgicae et personali, quae est illius praeparatio et continuatio. Vos adhortamur ut «nihil operi Dei praeponatur»,[42] nihil vos impediat, nihil vos separet, nihil in vestrum orans ministerium interponatur.[43] Hoc modo vos ipsas transformabitis, per contemplationem, in Christi imaginem[44] et vestrae communitates verae scholae fient precationis.

18. Haec omnia spiritualitatem postulant quae Verbo Dei nititur, vi sacramentalis vitae, doctrina magisterii Ecclesiae et scriptis vestrorum fundatorum fundatricumque; spiritualitatem dicimus quae vos filias reddat caeli et filias terrae, discipulas et missionarias, secundum vestrum vivendi modum. Institutionem praeterea postulat progredientem ad vitam orationis personalis et liturgicae adque ipsam contemplationem, nullo modo memoria deposita hanc ipsam potissimum "pulchritudine scandalizanti" Crucis ali.

Medius Verbi Dei locus

19. Unum ex elementis praecipuis vitae monasticae in universum est praecipuus Verbi Dei locus in vita personali et communitatis habendus. Sanctus Benedictus hoc confirmat cum a suis monachis petit ut «lectiones

[41] Cfr Benedictus XVI, *Catechesis* (28 Decembris 2011): *Insegnamenti* VII/2 (2011), 980-985; *CIC* can 663 § 4; Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Il servizio dell'autorità e l'obbedienza*, (11 Maii 2008), 31.

[42] Benedictus, *Regula* 43, 3.

[43] Cfr Franciscus Assisiensis, *Regula non bullata* 23,10, FF, p. 211.

[44] Cfr Clara Assisiensis, *III Epistola ad sanctam Agnetem de Praga*, 12.13, *FF*, p. 2276.

sanctas libenter audire »[45] velint. Saeculorum decursu condicio monachalis *lectionis divinae* custos fuit. Cum ista hodie toti populo Dei commendetur et ab omnibus consecratis religiosis postuletur,[46] vos vocamini ut ex ipsa nutrimentum vestrae contemplationis vestraeque vitae cotidianae hauriatis, hoc modo ut communicare hunc usum transformantem Verbi Dei cum sacerdotibus, diaconis, aliis consecratis et laicis valeatis. Sentite hanc communicationem veluti veram ecclesialem missionem.

Sine dubio, precatio et contemplatio loca sunt aptissima ad Verbum Dei accipiendum, sed eodem tempore tum precatio tum contemplatio ex audito Verbo oriuntur. Tota Ecclesia, et potissimum communitates plene contemplationi dicatae, oportet praestantiam Verbi Dei reperiant, quod, sicut Noster Decessor sanctus Ioannes Paulus II memoravit, est « primus omnis spiritalis christianae fons ».[47] Oportet Verbum vitam alat, precationem, contemplationem, cotidianum iter et pro vestris communitatibus et fraternitatibus principium fiat communionis. Illae revera vocantur ut id accipiant, meditentur, contemplentur, simul vivant, communicantes et participantes fructus qui ex hoc usu nascuntur. Hoc modo crescere in vera communionis spiritualitate poteritis.[48] Circa hoc propositum, « periculum est vitandum accessus individualistici, considerando quod Verbum Dei nobis datur ad communionem aedificandam, ad unionem in Veritate agendam nostro in itinere ad Deum. (...) Quam ob rem ad sacrum textum in ecclesiali communitate accedendum est ».[49]

20. *Lectio divina* vel *lectio orans Verbi* ars est quae iuvat ad adimplendum transitum a textu biblico ad vitam, est nempe exsistentialis Sacrarum Scripturarum interpretatio, qua brevius possumus reddere spatium inter spiritualitatem et vitam cotidianam, inter fidem et vitam. Processus *lectione divina* motus, studet nos ab auditu ad cognitionem transferre, a cognitione autem ad amorem.

[45] *Regula*, 4, 55.

[46] Cfr Benedictus XVI, Adhort. Ap. postsynodalis *Verbum Domini* (30 Septembris 2010), 86: *AAS* 102 (2010), 757; *CIC* can. 663 § 3.

[47] Cfr Adhort. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 94: *AAS* 88 (1996), 469; cfr *CIC* can. 758.

[48] Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Ripartire da Cristo. Un rinnovato impegno della vita consacrata nel Terzo Millennio* (19 Maii 2002), 25; Ioannes Paulus II, Litt. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 43: AAS 93 (2001), 297.

[49] Benedictus XVI, Adhort. Ap. postsynodalis *Verbum Domini* (30 Septembris 2010), 86: *AAS* 102 (2010), 758; cfr *CIC* cann. 754-755.

Ob motum biblicum, qui novam vim potissimum sumpsit post promulgatam Constitutionem dogmaticam *Dei Verbum* Concilii Oecumenici Vaticani II, hodie omnibus proponitur constans Sacris Scripturis accessus per lectionem orantem et assiduam textus biblici, hoc modo ut dialogus cum Deo res fiat cotidiana populi Dei. *Lectio divina* vos iuvare debet ad cor docile colendum, sapiens et intelligens (cfr *1 Reg* 3, 9.12), ad diudicandum quod a Deo obveniat et quod ab Eo nos possit abducere; ad hoc genus intuitionis supernaturalis obtinendum, quod vestris fundatoribus vestrisque fundatricibus sivit ne menti mundi conformarentur, sed propriam mentem renovarent, « ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum » (*Rom* 12, 2).[50]

21. Vestra dies, personalis et communitatis, Verbo Domini imbuatur. Vestrae communitates et fraternitates fient hoc modo scholae in quibus Verbum auditur, vivitur et omnibus nuntiatur qui obviam vobis veniunt.

Nolite oblivisici « *lectionem divinam* sua in dynamica non concludi nisi ad *actionem* perveniat, quae exsistentiam credentem movet ut donum fiat pro aliis in caritate ».[51] Hoc modo ipsa abundantiores gignet fructus in itinere conformationis Christo, qui est totius nostrae vitae finis.

Eucharistiae et Reconciliationis sacramenta

22. Eucharistia potissimum sacramentum est occursus cum Iesu persona: in ea « totum bonum spirituale Eccclesiae continetur, ipse scilicet Christus ».[52] Eucharistia, cuiusque baptizati vitae ipsiusque vitae consecratae cor, et peculiariter item vitae contemplativae. Etenim vestrae vitae oblatio inserit vos singulari modo in mysterium paschale mortis et resurrectionis quod in Eucharistia efficitur. Nam fractio panis una simul perfecta repetit et efficit donum sui ipsius a Iesu completum qui « se fregit, se frangit pro nobis » et a nobis postulat ut vicissim « nos donemus, nos frangamus pro aliis ».[53] Ut hoc copiosum mysterium vitaliter expleatur et manifestetur, requiritur ut Eucharistiae celebratio cura, decore sobrietateque praeparetur, atque partecipetur plene, fide scienterque.

[50] Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 65: *AAS* 88 (1996), 470.

[51] Cfr Benedictus XVI, Adhort. Ap. postsynodalis *Verbum Domini* (30 Septembris 2010), 87: *AAS* 102 (2010), 759.

[52] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, 5; cfr *CIC* can. 899.

[53] Franciscus *Homilia in Sollemnitate Sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi* (26 Maii 2016): *L'Osservatore Romano*, 27-28 Maii 2016, p. 8; cfr *CIC* can. 663 § 2.

In Eucharistia intuitus cordis agnoscit Iesum.[54] Sanctus Ioannes Paulus II commemorat nobis: «Christum contemplari idem valet ac Eum agnoscere ubicumque sese ostendit, multiplici quidem in ipsius praesentia, sed potissimum in vivo corporis sanguinisque eius Sacramento. De Christo eucharistico vivit Ecclesia, ab eo nutrita et ab eo illustrata. Fidei mysterium Eucharistia est ac simul "mysterium lucis". Quotiens eam celebrat Ecclesia, vivere rursus quodammodo possunt fideles experientiam duorum discipulorum de Emmaus: "Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum" (*Lc* 24, 31)».[55] Eucharistia igitur inducit vos cotidie in mysterium amoris, qui sponsalis est amor: «Ecclesiae Sponsus est Christus uti servator mundi. Nostrae sacramentum est Eucharistia redemptionis, Sponsi sacramentum est Sponsaeque».[56]

Idcirco laudabilis est consuetudo protrahendi celebrationem eucharistica adoratione, quae praecipuum est tempus ad assimilandum intra nos Verbi panem in celebratione fractum adque gratiarum agendarum opus prosequendum.

23. Ex Eucharistia manat permanentis conversionis studium, quae in Reconciliatione sacramentaliter exprimitur. Frequens personalis vel communis celebratio sacramenti Reconciliationis seu Paenitentiae esto vobis praecipua occasio contemplandi vultum misericordem Patris, Iesu Christi,[57] renovandi cor vestrum et vinculum vestrum cum Deo in contemplatione purificandi.

Ex veniae a Deo receptae hoc in sacramento iucunda experientia manat gratia qua efficimur prophetae et misericordiae ministri atque reconciliationis, veniae et pacis instrumenta, prophetae ac ministri quibus noster mundus hodie praecipue indiget.

Vita fraterna in communitate

24. Vita fraterna in communitate in universum praecipuum est elementum vitae religiosae, ac singulari modo vitae monasticae, etiam pluribus in charismatibus.

Communionis vinculum manifestatio est huiusce amoris qui, manans e corde Patris, nos invadit per Spiritum quem Iesus ipse nobis dat. Tantum hanc rem cum patefacit, Ecclesia, Dei familia, signum est altae coniunctio-

[54] Cfr Ioannes Paulus II, *Homilia in Sollemnitate Sacratissimi Corporis et Sanguinis Christi* (14 Iunii 2001), 3: *AAS* 93 (2001), 656.

[55] Id., Litt. Encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 6: *AAS* 95 (2003), 437.

[56] Id., Ep. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 26: *AAS* 80 (1988), 1716.

[57] Cfr Bulla *Misericordiae Vultus*, 1: *AAS* 107 (2015), 399; *CIC* cann. 664; 630.

nis cum Eo et proponitur veluti sedes, in qua haec experientia fieri potest cunctosque vivificat. Christus Dominus, quosdam vocans ad suam vitam communicandam, communitatem instituit quae patefacit «bonorum, fraterni affectus, vitae navitatisque propositi communionem se perficere posse, quoniam invitationem Eum magis libere pressiusque sequendi accepit».[58] Vita fraterna, propter quam consecrati viri mulieresque student fieri «cor et anima una» (*Act* 4, 32), instar primarum christianarum communitatum, «sicut eloquens exhibetur Trinitatis confessio».[59]

25. Modum vivendi seque Deo donandi communio fraterna refert atque illud testatur: «Deus caritas est» (*1 Io* 4, 8.16). Vita consecrata credere ac vivere Patris, Filii et Spiritus Sancti ex amore profitetur, quapropter communitas fraterna Dei Trinitatis Amoris gratiam reddit.

Aliter ac eremitae, qui vivunt «solitudinis silentio»[60] et ipsi quoque magni ab Ecclesia existimantur, vita monastica vitam communitariam constanter augescentem secumfert, quae ducit ad vivendam sinceram communionem fraternam, videlicet *koinoniam*. Hoc exigit ut cuncti eius sodales se vocari sentiant ad communitatem aedificandam nec tantum ad fruendum beneficiis quae ab ea recipere possunt. Communitas exstat cum oriatur et exstruatur omnibus tribuentibus, unoquoque secundum propria dona, colendo vigentem communionis spiritualitatem, qua ducitur ut mutuo ad se pertinere ipsi se sentiant et hoc vivant.[61] Tantum hoc modo vita communitatis fit mutuo adiutorio ad suam cuiusque vocationem adimplendam.[62]

26. Vos, qui vitam monasticam amplexi estis, mementote semper viros mulieresque nostrae aetatis a vobis verae communionis fraternae testimonium requirere quod in societate segregationibus et discrepantiis denotata fortiter ostendat fieri posse et iucundum esse habitare in unum (cfr *Ps* 133, 1), nihil obstantibus diversitatibus generationis, institutionis et interdum culturae. Vestrae communitates sint signa credibilia quod hae diversitates vitae fraternae non constituunt impedimentum, sed eam ditiorem reddunt. Memen-

[58] Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *La vita fraterna in comunità. Congregavit nos in unum Christi amor* (2 Februarii 1994), 10.

[59] Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 21: *AAS* 88 (1996), 395.

[60] *CIC* can. 603 § 1.

[61] Cfr Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 43: *AAS* 93 (2001), 296-297.

[62] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 15; *CIC* can. 602.

tote unitatem et communionem idem non esse ac uniformitatem, easdemque alendas esse dialogo, communicatione, mutuo adiumento et alta humanitate, potissimum erga sodales debiliores et indigentes.

27. Mementote denique vitam fraternam in communitate esse quoque primam evangelizationis formam: «In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis: si dilectionem habueritis ad invicem» (*Io* 13, 35). Quamobrem hortamur vos ne remedia neglegatis ad illam solidandam, sicut eam proponit efficitque Ecclesia,[63] constanter vigilans pro hac vitae monasticae ratione, peculiari quidem et haud parvi ponderis. Una cum Verbi communicatione Deique experientia ac simul communitaria discretione, «memorari possunt etiam correctio fraterna, vitae revisio aliaeque consuetae traditionis formae. Veri sunt modi aliorum servitio offerendi donaque communitati restituendi quae Spiritus abundanter largitur pro eius aedificatione ac pro eius missione in mundo».[64]

Sicut nuper asseruimus in occursu cum personis consecratis Romae congregatis in Anno Vitae Consecratae concludendo,[65] sedulo necessitudinem curate erga sorores quas tamquam donum pretiosum Dominus vobis dedit. Altera ex parte, sicut asseverabat sanctus Benedictus, in vita communitaria praecipuum est «seniores venerare, iuniores diligere».[66] Hac in contentione componenda inter memoriam et futurum promissum absconditur etiam vitae fraternae in communitate fecunditas.

Monasteriorum autonomia

28. Autonomia vitae stabilitati favet et cuiusque communitatis interiori unitati, dum meliores condiciones affert pro contemplatione. Huiusmodi autonomia tamen non debet plenam libertatem vel segregationem significare, praesertim ab aliis monasteriis eiusdem Ordinis vel a familia eiusdem charismatis.

29. Persuasum habentes «neminem futurum aedificare dum se segregat, nec tantum suis viribus, sed se agnoscens in veritate communionis quae semper occursui, dialogo, auditioni et mutuo auxilio patet»,[67] curam habete

[63] Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *La vita fraterna in comunità. Congregavit nos in unum Christi amor* (2 Februarii 1994); *CIC* cann. 607 § 2; 608; 665; 699 § 1.

[64] *Ibid.*, 32; cfr *CIC*, cann. 619; 630; 664.

[65] Cfr *Allocutio ad participantes Iubilaeum Vitae Consecratae* (1 Februarii 2016): *L'Osservaroe Romano* 1-2 Februarii 2016, p. 8.

[66] *Regula*, IV, 70-71.

[67] Ep. Ap. *Ad personas consecratas occasione Anni Vitae Consecratae dicati* (21 Novembris 2014), II, 3: *AAS* 106 (2014), 943.

ut vos servetis «a morbo se ipsum commendandi»[68] et custodite communionis bonum inter varia monasteria tamquam viam quae futuro patet, adaequando et aptando hoc modo bona permanentia et in codicem redacta vestrae autonomiae.[69]

Foederationes

30. Foederatio est magni momenti structura communionis inter monasteria quae idem charisma communicant, ne segregata maneant.

Praecipuus finis foederationum est vitam contemplativam promovere in monasteriis quae ad eas pertinent, iuxta proprii charismatis postulata, et adiumento providere in permanenti et initiali institutione, necnon in veris necessitatibus, per monialium permutationem et bonorum temporalium communicationem; ad hos fines consequendos hae agendi rationes foveantur et multiplicentur oportet.[70]

Clausura

31. A mundi separatio, necessaria iis qui Christum sequuntur in vita religiosa, pro vobis, sorores contemplativae, habet praecipuam manifestationem in clausura, quae locus est Ecclesiae sponsae intimitatis: «Signum est unicae coniunctionis Ecclesiae-Sponsae cum Domino admodum dilecto».[71]

Clausura divisa est in quattuor varias formas et gradus:[72] praeter illam cunctis Institutis religiosis communem, sunt tres propriae formae communitatum vitae contemplativae, dictae papalis, constitutionalis et monastica. Clausura papalis est illa «iuxta normas ab Apostolica Sede datas»[73] servanda et munera externa apostolatus excludit.[74] Clausura constitutionalis definitur normis propriarum Constitutionum; atque clausura monastica, etiamsi servet notionem «strictioris disciplinae»[75] pro illa communi, cum primario officio cultus divini coniungere sinit ampliores formas accipiendi personas et

[68] *Ibid.*

[69] Cfr *ibid.*; cfr *CIC*, cann. 614-615; 628 § 2 -1; 630 § 3; 638 § 4; 684 § 3; 688 § 2; 699 § 2; 708; 1428 § 1-2.

[70] Cfr *CIC*, cann. 582; 684 § 3.

[71] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59: *AAS* 88 (1996), 431.

[72] Cfr *ibid.*, 59; *CIC*, can. 667.

[73] *CIC*, can. 667 § 3.

[74] Cfr *ibid.*, can. 674.

[75] *Ibid.*, can. 667 § 2.

hospitalitatis, semper autem secundum proprias Constitutiones. Communis clausura ex his quattuor minus clausa est.[76]

Multiplices modi observandi clausuram in eodem Ordine haberi debent uti divitiae et non impedimentum communionis, diversas interpretandi rationes in superiorem quandam unitatem recidentes.[77] Haec communio effici poterit variis in formis occursus et cooperationis, maxime in permanenti et initiali institutione.[78]

Opus perficiendum

32. Opus perficiendum vobis quoque communicatio est operae quam Deus creator in mundo perficit. Huiusmodi actuositas arte vos coniungit cum iis qui responsaliter operantur ut de fructu manuum suarum vivant (cfr *Gn* 3, 19), quo ad operam creationis conferant et hominibus serviant; praesertim solidales vos efficit cum pauperibus qui sine labore perficiendo vivere nequeunt quique saepius, etiamsi opus navant, providentiali fratrum auxilio indigent.

Ne opus contemplationis spiritum exstinguat, sicut nos magni contemplationis magistri docent, utque vestra vita sit « re spirituque pauper in operosa sobrietate consumenda » sicut per sollemne votum evangelici consilii paupertatis professio vobis imponit,[79] opus devote et fideliter expleatur, absque coercitione cultus hodierni humani cultus ad effectus actuositatemve compellit. Esto vobis adhuc semperque validum traditionis Benedictinae dictum « ora et labora », quod ad aequam necessitudinem educat inter ad Absolutum tensionem et cotidianis in responsalitatibus studium, inter contemplationis quietem et ministerii alacritatem.

Silentium

33. In vita contemplativa, potissimum ea integre contemplativa, utique consideramus silentio a Praesentia Dei habitato magnum pondus tribui, tamquam loco necessario Verbum audiendi ac *ruminandi* quod praesumitur ad fidei contuitum qui Dei praesentiam cernit in historia personali fratrum sororumque, quos Dominus vobis donat atque in mundi huius temporis

[76] Cfr *ibid.*, can. 667 § 1.

[77] Cfr J.M. Bergoglio, *Allocutio* die 13 Octobris 1994 habita in Synodo Episcoporum de *La vita consacrata e la sua missione nella Chiesa e nel mondo* (relata in: "*Vida Religiosa*" 115, n. 7, Iulii-Septembris 2013).

[78] Cfr Ep. Ap. *A tutti i consacrati in occasione dell'Anno della Vita Consacrata* (21 Novembris 2014), II, 3: *AAS* 106 (2014), 942-943.

[79] Cfr *CIC*, can. 600.

vicissitudinibus. Silentium vacuum sui ipsius est ad acceptioni locum praebendum; in interiori rumore nihil nemoque accipi potest. Vestra vita integre contemplativa postulat « tempus et capacitatem silendi ad auscultandum »[80] Deum hominumque clamorem. Taceat igitur carnis lingua et loquatur lingua Spiritus, amore quem unaquaeque vestrum alit pro suo Domino permota.[81]

Hac in re exemplum est vobis Beatissimae Virginis Mariae silentium quae Verbum accipere valuit quoniam mulier fuit silentii: minime sterilis, vacui silentii; e contra, pleni divitisque silentii. Virginis Matris silentium est etiam caritate locuples, quod ad Alium aliosque accipiendos disponit.

Communicationis instrumenta

34. Nostra in societate digitalis cultura modo decretorio instat super mentis institutionem et necessitudines cum mundo, ac praecipue cum personis. Hae culturales condiciones communitates contemplativas immunes nihil dimittunt. Haec profecto instrumenta institutioni communicationique utilia esse possunt, sed ad prudentem discretionem vos hortamur ut ea institutioni vitae contemplativae ac necessariis communicationibus deserviant et non occasio fiant dissipationis vel evasionis e vita fraterna in communitate, nec damnum vestrae vocationi nec obstaculum vestrae vitae penitus contemplationi dicatae.[82]

Ascesis

35. Ascesis, omnibus cum adiumentis quae Ecclesia praebet ad sui ipsius dominatum et cordis purificationem consequendam, ducit etiam ad nos a rebus omnibus expediendos quae sunt "mundana" ut Evangelii rationem teneamus quae ratio est doni, potissimum sui ipsius doni, tamquam requisiti responsi primo unicoque vestrae vitae amori. Hoc modo fratrum sororumque exspectationibus etiam respondere poteritis necnon moralibus spiritalibusque postulatis inhaerentibus unicuique e tribus consiliis evangelicis quae sollemni voto professae estis.[83]

[80] *Nuntius ad XLVIII Diem Mundialem Communicationum Socialium* (1 Ianuarii 2014): *AAS* 106 (2014), 114; cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *La vita fraterna in comunità. Congregavit nos in unum Christi amor* (2 Februarii 1994), 10 et 34.

[81] Cfr Clara Assisiensis, *IV Epistula ad Agnetem*, 35: *FF* 2908.

[82] Cfr *CIC*, can. 666.

[83] Cfr *Salutatio post S. Missam pro personis consecratis* (2 Februarii 2016): *L'Osservatore Romano*, 4 Februarii 2016, p. 6; *CIC* cann. 599-601; 1191-1192.

Hac de re vestra vita plene dicata sensum propheticum funditus induit: sobrietas, seiunctio a rebus, sui ipsius traditio in oboedientia, perspicuitas in necessitudinibus, omnia vobis firmiora durioraque efficiuntur electa reiectione « et "spatii", congressuum, tot bonorum creatorum. Haec singularis donandi "corpus" suum ratio ».[84] Quod vos stabilitatis vitam elegistis, signum fit eloquens fidelitatis nostro mundo globalizato qui solet moveri usque celerius faciliusque, dum periculum adit numquam agendi radices.

Etiam necessitudines fraternae acriores efficiuntur vita claustrali,[85] quae in communitatibus vincula continuata et proximiora imponit. Vos populo Dei atque humano generi huius temporis, qui tot divisionibus designatur et interdum laceratur, exemplo esse potestis et auxilio iuxta fratrem sororemque manendi ibi quoque ubi diversitates habentur conciliandae, contentiones dimicationesque tractandae, debilitates suscipiendae. Ascesis iuvat quoque propriam infirmitatem contingere eamque Dei et communitatis lenitati committere.

Denique asceticum studium necessarium est ad amanter fideliterque proprium officium cotidianum ferendum, ut occasio sortem tot fratrum in mundo communicandi necnon tacitam et fecundam oblationem pro iis offerendi.

Monialium testimonium

36. Dilectae sorores, quae in hac Constitutione Apostolica scripsimus vobis, vocationem contemplativam amplexantibus, validum est subsidium ad conversationem missionemque vestram in Ecclesia et in mundo renovandam. Valeat Dominus opus suum in cordibus vestris perficere ac vosmet in Seipsum integre convertere, quod finis ultimus est vitae contemplativae;[86] et communitates seu fraternitates vestrae verae contemplationis et precationis sint palaestrae.

Vobis mundus Ecclesiaque indigent, instar luminum viam virorum mulierumque temporis nostri collustrantium. Sit haec prophetia vestra. Optio quidem vestra non est, sicuti nonnulli reputant, pavidum effugium mundi. In

[84] Ioannes Paulus II, Adh. Ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59: *AAS* 88 (1996), 431.

[85] Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *La vita fraterna in comunità. Congregavit nos in unum Christi amor* (2 Februarii 1994), 10.

[86] Cfr Clara Assisiensis, *Epistula ad Agnetem III*, 12-13: FF 2888; *Epistula ad Agnetem IV*, 15: FF 2902.

mundo enim perseveratis, etiamsi de mundo non sitis (cfr *Io* 17, 16-18), et, quamquam ab eo seiunctae, adhibitis signis vos esse Christi proloquentibus, nullo modo desistitis quin pro humanitate intercedatis protinus, angores ac spes, gaudia et afflictationes eiusdem Domino praebentes.[87]

Nolite nos spoliare vestra hac participatione ad mundum humaniorem reddendum et, eo ipso, Evangelii praeceptis magis informatum. Deo coniunctae, clamorem audite fratrum sororumque vestrorum (cfr *Ex* 3, 7; *Iac* 5, 4), quae victimae sunt «cultus reiectionis»[88] vel luminis tantum indigent Evangelii. Virtute exerceamini advertendi aures, «quod magis est quam audire»,[89] et 'spiritualitatem hospitalitatis' in usu habeatis, ea corde et oratione vestra suscipientes, quae ad hominem creatum ad imaginem et similitudinem Dei (cfr *Gen* 1, 26) pertinent. Sicut in Adhortatione Apostolica *Evangelii gaudium* scripsimus, «intercessio a vera contemplatione nos minime disiungit, quia contemplatio alios repellens fallax est».[90]

Hoc modo testimonium vestrum tamquam necessarium supplementum erit testimonii eorum qui, cum sint in corde mundi contemplationi dediti, testes sunt Evangelii in negotiis et aedificatione civitatis terrenae omnino perseverantes demersi.

37. Sorores contemplativae carissimae, vestram quoque conversationem, sicut omnia alia genera vitae consecratae, comperitis «donum esse Ecclesiae datum, quod oritur in Ecclesia, augetur in Ecclesia, ad Ecclesiam omnino intendit».[91] Alta igitur in communione cum Ecclesia manete, ut in ea propagatio viva fiatis mysterii Mariae virginis, sponsae et matris, quae Verbum suscipit tueturque ac mundo remittit, ortum et incrementum Christi in cordibus hominum fovens, qui, saepius licet inconscii, Eum tamen sitiunt, qui est «via, veritas et vita» (*Io* 14, 6). Instar Mariae, et vos 'scalae' estote, per quas descendit Deus ad homines conveniendos et ascendit homo ad conveniendum Deum atque ad vultum Eius in vultu Christi contemplandum.

[87] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 4.

[88] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 novembris 2013), 53: *AAS* 105 (2013), 1042; cfr *ibid.* 187ss: *AAS* 105 (2013), 1098ss.

[89] *Ibid.* 171: *AAS* 105 (2013), 1091.

[90] *Ibid.* 281: *AAS* 105 (2013), 1133.

[91] G.M. Bergoglio, *Allocutio* diei 13 octobris 1994 in Synodo Episcoporum habita *De vita consecrata eiusque missione in Ecclesia atque in mundo*, in *Vida religiosa* 115/7 (2013).

CONCLUSIONES ET DISPOSITIONES

Attentis omnibus hactenus expositis, disponimus atque statuimus quae sequuntur.

Art. 1. Ratione habita can. 20 CIC, supra expositis perattente 37 articulis perpensis, hac Constitutione Apostolica *Vultum Dei quaerere* promulgata, derogatur canonibus Codicis Iuris Canonici, qui cuivis articulo huius Constitutionis partim directe forte sint contrarii;

Et singillatim, qua huic Constitutioni directe sunt contrarii, articulis, qui normas vel dispositiones praebent:

– Constitutionis Apostolicae Pii PP. XII *Sponsa Christi*, diei 21 novembris 1950: *Statuta generalia Monialium*;
– Instructionis Sacrae Congregationis Religiosorum *Inter praeclara*, diei 23 novembris 1950;
– Instructionis Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae *Verbi Sponsa*, de vita contemplativa deque monialium clausura, diei 13 maii 1999.

Art. 2 § 1. Haec Constitutio adloquitur sive Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae sive singula monasteria monialium vitae contemplativae vel quae integre ad vitam contemplativam ordinantur, foederata vel non foederata.

§ 2. Hac Constitutione Apostolica ordinantur res, quae supra, ad n. 12, recensitae sunt ac dein ad nn. 13-35 explicatae.

§ 3. Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae – concorditer quotiescumque necesse est cum Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus vel Congregatione pro Gentium Evangelizatione – ordinabit singulas vias ad effectum deducendi has normas constitutivas pro diversis monasticis traditionibus atque attentis variarum familiarum charismatibus.

Art. 3 § 1. Singula monasteria peculiari diligentia per idoneas structuras in ratione vitae communitatis seligenda, curent institutionem permanentem, quae humus quasi est uniuscuiusque gradus formationis, iam inde ab initio.

§ 2. Ad congruam institutionem permanentem confirmandam, foederationes cooperationem inter monasteria foveant per mutuam commutationem subsidiorum formationis et per usum instrumentorum communicationis digitalis, salva semper necessaria sobrietate morum.

§ 3. Praeter diligentiam in eligendis sororibus, quae, officium institutorium exercentes, vocantur ad candidatas in earundem interioris maturationis itinere comitandas, singula monasteria et foederationes institutionem institutricum earumque quae sociatam operam praestant corroborent.

§ 4. Sorores magnae prudentiae institutionis muneri deputatae, servatis de iure servandis, peculiaria formationis curricula etiam extra moenia monasterii sui frequentare possunt, aptis retentis condicionibus propriique charismatis necessitatibus consentaneis. De his rebus Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae normas peculiares promulgabit.

§ **5.** Peculiari sollicitudine monasteria spirituali ac vocationali discretioni consulent, dum comitantur singillatim unamquamque candidatam atque apta formationis fovent itinera, necnon semper meminerint amplum temporis spatium primae institutioni esse tribuendum.

§ 6. Licet constitutio communitatum internationalium et multiculturalium charismatis universalitatem extollat, omnino tamen delectus candidatarum alias apud Nationes ad tuendam tantum monasterii conservationem est vitandus. Redigantur normae, quae hoc curent observandum.

§ 7. Ad insignem institutionem praestandam, domus primae formationis, pro adiunctis, variorum monasteriorum communes promovebuntur.

Art. 4 § 1. Cum sit oratio cor ipsum vitae contemplativae, monasterium quodque cursum diei proprii exigat ad existimandum an Dominus eiusdem principem obtineat locum.

§ 2. Perpendetur an celebrationes communitariae reapse vivus sint cum Domino occursus.

Art. 5 § 1. Lectionis divinae considerato pondere, omne monasterium definiat tempora et modos necessitatibus lectionis seu auditionis, ruminationis, orationis, contemplationis et communicationis Sacrae Scripturae idoneos.

§ 2. Cum communicatio transfigurationis a Verbo peractae presbyteris, diaconis, aliis consecratis et laicis signum sit verae communionis ecclesialis, monasterium quodque discernat modos huius spiritualis irradiationis *ad extra*.

Art. 6 § 1. Monasterium quodque in ratione communitariae et fraternae conversationis elaboranda, praeter sedulam praeparationem celebrationum eucharisticarum, congrua caveat tempora adorationis eucharisticae, opportunitatem eidem accedendi christifidelibus quoque Ecclesiae loci praebens.

§ 2. Peculiari studio cappellanis, confessariis et spiritualibus moderatoribus seligendis consulatur, consideratis peculiaritate charismatis ac necessitatibus vitae fraternae in communitate.

Art. 7 § 1. Quae sunt ad ministerium auctoritatis exercendum vocatae, praeter curam sui ipsius formationis, genuino fraternitatis servitiique gubernentur spiritu, quo libertatis responsalitatisque condiciones foveant secundas, ut discretionem sive personalem sive communitariam promoveant atque communicationem in veritate omnium quae aguntur, putantur, sentiuntur.

§ 2. Communitatis ratio libenter suscipiat suscitetque humanorum ac spiritualium donorum uniuscuiusque sororis commercium in mutuum incrementum et in fraternitatis profectum oblatum.

Art. 8 § 1. Iuridicae autonomiae respondere debet genuina autonomia vitae, scilicet: numerus etiam minimus sororum, dummodo maior earum pars non sit aetate provecta; vis animi in charismate vivendo tradendoque necessaria; vera instituendi ac gubernandi facultas; dignitas et qualitas vitae liturgicae, fraternae ac spiritualis; efficacia ac praesentia in Ecclesia loci; copia sui ipsius sustentationis; congrua forma aedificii monastici. Quae rationes una simul in universumque sunt amplectandae.

§ 2. Nisi haec postulata verae monasterii autonomiae subsistant, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae opportunitatem perpendet Commissionis ad hoc constituendae, quae componatur ab Ordinario, Praeside foederationis, Adsistente foederali et Abbatissa vel Priorissa monasterii. Quod propositum utique eo pertineat, ut adsectationis persequatur iter sive ad monasterium instaurandum sive ad eiusdem ineundum exitum.

§ 3. Iter hoc etiam affiliationem cum alio monasterio comprehendere potest vel traditionem in manus Praesidis foederationis cum eiusdem Consilio, si monasterium foederatum est. Quidquid est ultimum consilium competit ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae.

Art. 9 § 1. Omnia monasteria initio ad foederationem quandam oportebit accedant. Si peculiares propter causas monasterium foederari non poterit, per Capituli suffragium, licentiam ab Apostolica Sede expetat, ad quam spectat opportune discernere an monasterio concedi possit facultas ad foederationem non pertinendi.

§ 2. Foederationes poterunt effingi neque proprie neque tantum iuxta geographicam rationem, sed pro affinitate spiritus et consuetudinum. Viae ad haec exsequenda a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae designabuntur.

§ 3. Ad formationem quoque et certas necessitates auxilium praestabitur, subvenientibus monialium permutatione opumque participatione iuxta Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae disposita, quae facultates insuper Praesidis et Consilii Foederationis definiet.

§ 4. Consociatio, etiam iuridica, monasteriorum cum congruenti Ordine virorum fovebitur. Confoederationes quoque fulcientur atque constitutio Commissionum internationalium diversorum Ordinum, Statutis a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae approbatis.

Art. 10 § 1. Monasterium quodque severum post examen, propriis veritis consuetudinibus ac Constitutionum placitis, ab Apostolica Sede postulet quaenam forma clausurae sit ipsi amplectenda, si forte ratio expetatur alia ac vigens illa.

§ 2. Post unam selectam et approbatam ex praevisis clausurae formis, omne monasterium curet, ut eidem adhaereat ac secundum disciplinam vivat, quam eadem exigit.

Art. 11 § 1. Etiamsi communitates quaedam monasticae, secundum ius proprium proventibus frui possunt, nullo modo tamen munere operandi ipsae se eximant.

§ 2. Communitatibus contemplationi deditis fructus operis non modo finem habeat digni praestandi subsidii, sed etiam pauperum necessitatibus ac monasteriorum egenorum usui subveniendi.

Art. 12. Cotidianus cuiusque monasterii cursus opportuna tempora comparet silentii, ut condiciones orationi contemplationique provehantur idoneae.

Art. 13. Monasterium quodque in sua communitatis ratione aptis instrumentis decernendis det operam, per quae studium asceticum vitae monasticae exprimitur, ut eam magis propheticam et credibilem efficiat.

Dispositio finalis

Art. 14 § 1. Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae novam Instructionem, secundum spiritum et normas huius Constitutionis Apostolicae, edicet de rebus sub n. 12 relatis.

§ 2. Articuli Constitutionum seu Regularum singulorum Institutorum, postquam novis his dispositionibus aptati sunt, Apostolicae Sedis approbationi erunt subiciendi.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX mensis Iunii, in Sollemnitate SS. Petri et Pauli Apostolorum, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS PP.

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

De nonnullis officiis in rem oeconomicam-nummariam.

I beni temporali che la Chiesa possiede sono destinati a conseguire i suoi fini e cioè il culto divino, l'onesto sostentamento del clero, l'apostolato e le opere di carità, specialmente a servizio dei poveri (cfr can. 1254 § 2 C.I.C.). La Chiesa, di conseguenza, sente la responsabilità di porre la massima attenzione affinché l'amministrazione delle proprie risorse economiche sia sempre al servizio di tali fini.

Per questo motivo la Santa Sede presta un'attenzione particolare alla vigilanza sulla amministrazione del proprio patrimonio. A tale scopo, il 24 febbraio 2014 ho istituito, con il Motu Proprio *Fidelis dispensator et prudens,* tre nuovi organismi, cioè il Consiglio per l'Economia, la Segreteria per l'Economia e l'Ufficio del Revisore Generale, stabilendo le competenze di ciascuno. In seguito, il 22 febbraio 2015 ho approvato *ad experimentum* gli Statuti dei citati organismi.

Il tempo da allora trascorso e l'esperienza di attuazione pratica degli Statuti hanno evidenziato la necessità di intervenire ulteriormente in vista di una loro corretta interpretazione e concreta applicazione, alla luce delle competenze fondamentali già stabilite nella Lettera *Fidelis dispensator et prudens.* In particolare, si è manifestata la necessità di delineare meglio i rispettivi ambiti di attività tra la Segreteria per l'Economia e l'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, il loro modo di procedere ed il reciproco coordinamento.

Con la presente Lettera, precisando quanto stabilito e modificando quanto appare necessario emendare, intendo ribadire la direttiva fondamentale che è necessario separare in maniera netta e inequivocabile la gestione diretta del patrimonio dal controllo e vigilanza sull'attività di gestione. A tale scopo, è della massima importanza che gli organismi di vigilanza siano separati da quelli vigilati. Segue, come prima regola, la *summa divisio* delle competenze tra Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica e Segreteria per l'Economia, nel senso che alla prima compete l'amministrazione dei beni e la gestione finanziaria; alla seconda il controllo e la vigilanza sull'attività di amministrazione e gestione.

Di conseguenza, dopo aver esaminato con cura la materia in questione ed essermi debitamente consultato, stabilisco quanto segue:

1. Alla *Sezione per il controllo e la vigilanza* della Segreteria per l'Economia spetta il controllo e la vigilanza sull'attività dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica. Ciò consiste:

a) nell'emanare i decreti esecutivi generali e le istruzioni, a norma dell'art. 6 §1 dello Statuto della Segreteria per l'Economia, dopo aver svolto l'adeguata consultazione prevista dall'art. 7 del medesimo Statuto;

b) nel fornire l'assistenza ed il supporto di cui all'art. 6 §2 dello Statuto della Segreteria per l'Economia;

c) nello svolgere tutte le attività di monitoraggio, verifica, analisi e proposta a norma dell'art. 8 dello Statuto della Segreteria per l'Economia;

d) nel sottoporre annualmente al Consiglio per l'Economia il bilancio preventivo e consuntivo dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, a norma dell'art. 9 §1 dello Statuto della Segreteria per l'Economia;

e) nel formulare raccomandazioni e / o chiedere informazioni e documentazione ai sensi dell'art. 9 §2 dello Statuto della Segreteria per l'Economia;

f) nell'approvare, in base ai criteri stabiliti dalla Superiore Autorità a norma dell'art. 11 dello Statuto della Segreteria per l'Economia, ogni atto di alienazione, di acquisto o di straordinaria amministrazione posto in essere dall'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica;

g) nel curare che siano adottate adeguate misure correttive, ogniqualvolta venga a conoscenza di possibili danni al patrimonio, a norma dell'art. 12 dello Statuto della Segreteria per l'Economia;

h) nel richiedere all'Ufficio del Revisore Generale di effettuare revisioni specifiche a norma dell'art. 13 dello Statuto della Segreteria per l'Economia;

i) nello svolgere quanto previsto dall'art. 14 dello Statuto della Segreteria per l'Economia, circa lo scambio di informazioni di natura fiscale che possa coinvolgere l'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.

2. Alla *Sezione Amministrativa* della Segreteria per l'Economia compete, con riferimento all'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica:

a) formulare linee guida, modelli, procedure e indicare le migliori prassi in materia di appalti, a norma dell'art. 15 dello Statuto della Segreteria per l'Economia, che l'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica deve seguire nell'acquisizione di beni e servizi, per se stessa e per i Dicasteri ed Istituzioni che ad essa si rivolgono;

b) adempiere – ferme restando le competenze proprie della Segreteria di Stato – tutto quanto riguarda il personale a norma dell'art. 16 dello Statuto della Segreteria per l'Economia, salvo il pagamento degli stipendi, che continuerà ad essere affidato all'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica;

c) curare il rispetto delle normative vigenti, compreso il riferimento ai parametri retributivi per il personale;

d) fornire assistenza, in conformità ai rispettivi Statuti, al Fondo Pensioni ed al Fondo di Assistenza Sanitaria, a norma dell'art. 18 dello Statuto della Segreteria per l'Economia.

3. All'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica spetta:

a) amministrare il patrimonio mobiliare ed immobiliare della Santa Sede e quello degli enti che ad essa hanno affidato i propri beni, a norma del testo novellato dell'art. 172 della *Pastor Bonus* (cfr. art. 1 del Motu proprio *Confermando una tradizione plurisecolare,* dell'8 luglio 2014);

b) acquistare beni e servizi dai fornitori esterni per se stessa, per i Dicasteri della Santa Sede e per le Istituzioni collegate, in conformità a procedure e appropriati controlli interni, fermo restando quanto sopra al punto 2 a);

c) pagare le relative fatture, acquisendone l'originale, e contabilizzarle nel bilancio di ciascun Dicastero, seguendo la metodologia indicata dalla Segreteria per l'Economia;

d) svolgere il servizio di tesoreria, pagando gli stipendi al personale; spetta perciò alla Segreteria per l'Economia elaborare gli stipendi, spetta all'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica il pagamento;

e) seguire le norme e le linee guida date dalla Segreteria per l'Economia nel tenere la contabilità e nel redigere i bilanci;

f) redigere il proprio bilancio, separato da quello dei Dicasteri, di modo che ciascuno abbia contabilità e bilanci distinti, benché tutti debbano seguire la metodologia indicata dalla Segreteria per l'Economia;

g) disporre del personale ausiliario per i servizi ai Dicasteri della Santa Sede e per la manutenzione degli immobili;

h) avere la responsabilità della *Peregrinatio ad Petri Sedem*.

4. Alla luce di quanto sopra, abrogo l'art. 17 dello Statuto della Segreteria per l'Economia.

5. Per l'attuazione di quanto sopra stabilito, confido nella reciproca collaborazione dei Superiori dei due Dicasteri interessati. Eventuali questioni che dovessero sorgere saranno sottoposte alle decisioni di un mio Delegato, affiancato da collaboratori.

Quanto ho deliberato con questa Lettera Apostolica data *Motu Proprio*, ordino che sia osservato in tutte le sue parti, nonostante qualsiasi cosa contraria anche se degna di particolare menzione, e stabilisco che venga promulgato tramite pubblicazione sul quotidiano "L'Osservatore Romano" ed entri in vigore il giorno stesso, prima di essere pubblicato nel Commentario ufficiale *Acta Apostolicae Sedis*.

Dal Vaticano, il 4 luglio 2016, quarto di Pontificato.

FRANCISCUS PP.

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Dei Servo Tshimangadzo Samueli Benedicto Daswa Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

«Ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere» (*1 Io* 3, 16).

Verba haec Ioannis Evangelistae Venerabili Dei Servo Tshimangadzo Samueli Benedicto Daswa probe conveniunt, qui verus fidelisque fuit Christi testis fideique tam in familia quam sua in communitate usque ad vitae exitum. Die XVI mensis Iunii anno MCMXLVI in rustico pago *Mbahe*, hodiernae provinciae *Limpopo*, Transvaliae regionis Reipublicae Africae Australis, curriculis elementariis, secundariis ac professionalibus peractis, diploma est consecutus ludi magistri ac docere coepit apud elementariam scholam oppidi *Ha-Dumasi*. Iuvenem Shadi Evelinam Monyai in matrimonium duxit, ad Lembanam consuetudinem. Deinceps Venerabilis Dei Servus praepositus consttutus est elementariae scholae pagi *Nwlei*. Postquam Evelina ad fidem catholicam est conversa, sacramentum matrimonii celebraverunt, quod octo liberis est laetificatum. Eius fidei iter facile expeditumque fuit, cum Hibernium Patricium O'Connor, sodalem Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, convenisset, qui eum usque ad extremum diem spiritaliter duxit atque effecit ut ille progrederetur in semita plenae cum Domino communionis, fidelis prorsus officiis propriae condicionis patrisfamilias, scholastici institutoris, laici catechistae.

Praesertim post coniugium celebratum in spiritali vita magis est progressus et ex eo die palam percepit se ad sanctitatem et ad apostolicum opus vocari, ita ut credens, ardenti vita spiritali praeditus, fieret, quam precatio ac cotidiana frequentata Missa alebat. Laetabatur quod parochum iuvaret, precationum liturgicas congressiones dirigeret, primus esset Consilio paroeciali praepositus, fidei christianae vitae testis, concordiae pacisque circa

pagum *Mbahe* fautor. Postremis diebus mensis Ianuarii anno MCMXC, cum publica congressio comitatus pagi fieret, palam contra artem magicam dixit, socialem illius regionis plagam, ideo pecuniarium subsidium negavit, quod in arte magica adhiberetur. Firmiter dixit suam fidem impedire quominus quemvis eventum communicaret, qui cum arte magica coniungeretur. Hanc propter publicam sententiam quidam pernotus personarum coetus eique infensus ipsius decrevit mortem. Coniuratio est disposita et vesperi die II mensis Februarii anno MCMXC eius inimici eum in insidias induxerunt et crudeliter eum occiderunt. Cum Daswa interimeretur ab occisoribus petivit ut vitam mutarent atque usque ad extremum spiritum pro persecutoribus precari non destitit. Venerabilis Dei Servi exsequiae, in templo paroeciali pagi *Nweli* celebratae, claram ipsius martyrii famam demonstrarunt, quae progrediente tempore est producta, cum increbresceret et in omnem Sibasae regionem diffunderetur. Singulis annis martyrii anniversaria memoria, augescente magis in dies turba ad ipsius sepulcrum, per piam peregrinationem renovatur.

Propter martyrii augescentem famam dioecesana Inquisitio apud Sedes Tzaneensem Salopiensem, Dublinensem et Birminghamiensem est acta. Omnibus iure statutis servatis rebus atque *Positione* comparata, Consultores theologi, in congressione peculiari coadunati de martyrio faventem sententiam tulerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria coadunati die XIII mensis Ianuarii anno MMXV eius mortem verum martyrium iudicarunt. Nos Ipsi die XIV mensis Martii anno MMXV facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super martyrio evulgaret atque statuimus ut beatificationis ritus in oppido *Thohoyandou* dioecesis Tzaneensis in Republica Africae Australis celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Tshimangadzo Samuelem Benedictum Daswa adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Ioannis Noé Rodrigues, Episcopi Tzaneensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Tshimangadzo Samuel Benedictus Daswa laicus paterque familiae, martyr,

catechista studiosus, integer magister, qui testimonium Evangelio usque ad effusionem sanguinis praebuit, Beati nomine in posterum appelletur eiusque festum die prima mensis Februarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma prorsus esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Septembris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status

✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 65.376

EPISTULA

Ad Praesidem Conferentiae Episcopalis Argentinae occasione ducentesimae anniversariae memoriae a Rei Publicae Argentinae libertate adepta.

S.E.R. Mons. José María Arancedo
Presidente de la Conferencia Episcopal Argentina Buenos Aires

Querido hermano:

En vísperas de la celebración del bicentenario de la Independencia quiero hacer llegar un cordial saludo, a vos, a los hermanos Obispos, a las Autoridades nacionales y a todo el Pueblo argentino. Deseo que esta celebración nos haga más fuertes en el camino emprendido por nuestros mayores hace ya doscientos años. Con tales augurios expreso a todos los argentinos mi cercanía y la seguridad de mi oración.

De manera especial quiero estar cerca de los que más sufren: los enfermos, los que viven en la indigencia, los presos, los que se sienten solos, los que no tienen trabajo y pasan todo tipo de necesidad, los que son o fueron víctimas de la trata, del comercio humano y explotación de personas, los menores víctimas de abuso y tantos jóvenes que sufren el flagelo de la droga. Todos ellos llevan el duro peso de situaciones, muchas veces límite. Son los hijos más llagados de la Patria.

Sí, hijos de la Patria. En la escuela nos enseñaban a hablar de la Madre Patria, a amar a la Madre Patria. Aquí precisamente se enraiza el sentido patriótico de pertenencia: en el amor a la Madre Patria. Los argentinos usamos una expresión, atrevida y pintoresca a la vez, cuando nos referimos a personas inescrupulosas: «éste es capaz hasta de vender a la madre»; pero sabemos y sentimos hondamente en el corazón que a la Madre no se la vende, no se la puede vender ... y tampoco a la Madre Patria.

Celebramos doscientos años de camino de una Patria que, en sus deseos y ansias de hermandad, se proyecta más allá de los límites del país: hacía la Patria Grande, la que soñaron San Martín y Bolivar. Esta realidad nos une en una familia de horizontes amplios y lealtad de hermanos. Por esa Patria Grande también rezamos hoy en nuestra celebración: que el Señor la cuide, la haga fuerte, más hermana y la defienda de todo tipo de colonizaciones.

Con estos doscientos años de respaldo se nos pide seguir caminando, mirar hacia adelante. Para lograrlo pienso –de manera especial– en los ancianos y en los jóvenes, y siento la necesidad de pedirles ayuda para continuar andando nuestro destino. A los ancianos, los «memoriosos» de la historia, les pido que, sobreponiéndose a esta «cultura del descarte» que mundialmente se nos impone, se animen a soñar. Necesitamos de sus sueños, fuente de inspiración. A los jóvenes les pido que no jubilen su existencia en el quietismo burocrático en el que los arrinconan tantas propuestas carentes de ilusión y heroísmo. Estoy convencido de que nuestra Patria necesita hacer viva la profecía de Joel (cf. *Jl* 4, 1). Sólo si nuestros abuelos se animan a soñar y nuestros jóvenes a profetizar cosas grandes, la Patria podrá ser libre. Necesitamos de abuelos soñadores que empujen y de jóvenes que –inspirados en esos mismos sueños– corran hacia adelante con la creatividad de la profecía.

Querido hermano pido a Dios, nuestro Padre y Señor, que bendiga nuestra Patria, nos bendiga a todos nosotros; y a la Virgen de Luján que, como madre, nos cuide en nuestro camino. Y, por favor, no te olvides de rezar por mí.

Fraternalmente

Ciudad del Vaticano, 8 de julio de 2016.

FRANCISCUS PP.

ALLOCUTIO

Ad participes peregrinationis Pauperum ex Dioecesibus Gallicis provinciae Lugdunensis.*

Cari amici,

sono molto lieto di accoglervi qui. Qualunque sia la vostra condizione, la vostra storia, il peso che portate, è Gesù che ci riunisce intorno a sé. Se c'è qualcosa che ha Gesù, è proprio quella capacità di accogliere. Egli accoglie ciascuno così com'è. In Lui siamo fratelli, e io vorrei che voi sentiste quanto siete i benvenuti; la vostra presenza è importante per me, e anche è importante che voi siete a casa.

Con i responsabili che vi accompagnano, voi date una bella testimonianza di fraternità evangelica in questo camminare insieme nel pellegrinaggio. Infatti voi siete venuti accompagnandovi a vicenda. Gli uni aiutandovi generosamente, offrendo risorse e tempo per farvi venire; e voi, donando loro, donando a noi, donando a me, Gesù stesso.

Perché Gesù ha voluto condividere la vostra condizione, si è fatto, per amore, uno di voi: disprezzato dagli uomini, dimenticato, uno che non conta nulla. Quando vi capita di provare tutto questo, non dimenticate che anche Gesù l'ha provato come voi. È la prova che siete preziosi ai suoi occhi, e che Lui vi sta vicino. Voi siete *nel cuore della Chiesa*, come diceva Padre Giuseppe Wresinski, perché Gesù, nella sua vita, ha sempre dato la priorità a persone che erano come voi, che vivevano situazioni simili. E la Chiesa, che ama e preferisce quello che Gesù ha amato e preferito, non può stare tranquilla finché non ha raggiunto tutti coloro che sperimentano il rifiuto, l'esclusione e che non contano per nessuno. *Nel cuore della Chiesa*, voi ci permettete di incontrare Gesù, perché ci parlate di Lui non tanto con le parole, ma con tutta la vostra vita. E testimoniate l'importanza dei piccoli gesti, alla portata di ciascuno, che contribuiscono a costruire la pace, ricordandoci che siamo fratelli, e che Dio è Padre di tutti noi.

Mi viene in mente di provare ad immaginare che cosa pensasse la gente quando ha visto Maria, Giuseppe e Gesù per le strade, fuggendo in Egitto. Loro erano poveri, erano tribolati dalla persecuzione: ma lì c'era Dio.

* Die 6 Iulii 2016.

Cari accompagnatori, voglio ringraziarvi per tutto quello che fate, fedeli all'intuizione di Padre Giuseppe Wresinski, che voleva partire *dalla vita condivisa*, e non da teorie astratte. Le teorie astratte ci portano alle ideologie e le ideologie ci portano a negare che Dio si è fatto carne, uno di noi! Perché è *la vita condivisa* con i poveri che ci trasforma e ci converte. E pensate bene questo! Non solo voi andate incontro a loro – anche incontro a chi ha vergogna e si nasconde –, non solo camminate con loro, sforzandovi di comprendere la loro sofferenza, di entrare nella loro disposizione [d'animo]; ma voi vi sforzate di entrare nella loro disperazione. Inoltre, *suscitate intorno a loro una comunità*, restituendo loro, in tal modo, un'esistenza, un'identità, una dignità. E l'Anno della Misericordia è l'occasione per riscoprire e vivere questa dimensione di solidarietà, di fraternità, di aiuto e di sostegno reciproco.

Amati fratelli, vi domando soprattutto di conservare il coraggio e, proprio in mezzo alle vostre angosce, di conservare la gioia della speranza. Quella fiamma che abita in voi non si spenga. Perché noi crediamo in un Dio che ripara tutte le ingiustizie, che consola tutte le pene e che sa ricompensare quanti mantengono la fiducia in Lui. In attesa di quel giorno di pace e di luce, il vostro contributo è essenziale per la Chiesa e per il mondo: voi siete testimoni di Cristo, siete intercessori presso Dio che esaudisce in modo tutto particolare le vostre preghiere.

Voi mi chiedevate di ricordare alla Chiesa di Francia che Gesù è sofferente alla porta delle nostre chiese se i poveri non ci sono. Se i poveri non ci sono... «I tesori della Chiesa sono i poveri», diceva il diacono romano san Lorenzo. E, infine, vorrei chiedervi un favore, più che un favore, darvi una missione: una missione che soltanto voi, nella vostra povertà, sarete capaci di compiere. Mi spiego: Gesù, alcune volte, è stato molto severo e ha rimproverato fortemente persone che non accoglievano il messaggio del Padre. E così, come lui ha detto quella bella parola «beati» ai poveri, agli affamati, a coloro che piangono, a coloro che sono odiati e perseguitati, ne ha detta un'altra che, detta da lui, fa paura! Ha detto: «Guai!». E lo ha detto ai ricchi, ai sazi, a coloro che ora ridono, a quelli cui piace essere adulati,[1] agli ipocriti.[2] Vi do la missione di pregare per loro, perché il Si-

[1] Cfr *Lc* 6, 24-26.
[2] Cfr *Mt* 23, 15 ss.

gnore cambi il loro cuore. Vi chiedo anche di pregare per i colpevoli della vostra povertà, perché si convertano! Pregare per tanti ricchi che vestono di porpora e di bisso e fanno festa con grandi banchetti, senza accorgersi che alla loro porta ci sono tanti *Lazzari,* bramosi di sfamarsi degli avanzi della loro mensa.[3] Pregate anche per i sacerdoti, per i leviti, che – vedendo quell'uomo percosso e mezzo morto – passano oltre, guardando dall'altra parte, perché non hanno compassione.[4] A tutte queste persone, e anche sicuramente ad altre che sono legate negativamente con la vostra povertà e con tanti dolori, sorridete loro dal cuore, desiderate per loro il bene e chiedete a Gesù che si convertano. E vi assicuro che, se voi fate questo, ci sarà grande gioia nella Chiesa, nel vostro cuore e anche nell'amata Francia.

Tutti insieme, adesso, sotto lo sguardo del nostro Padre celeste, vi affido alla protezione della Madre di Gesù e di san Giuseppe, e vi imparto di cuore la Benedizione Apostolica. E tutti preghiamo il nostro Padre.

[3] Cfr *Lc* 16, 19 ss.
[4] Cfr *Lc* 10, 30-32.

NUNTII TELEVISIFICI

I

Ad participes Conventus Publici Sodalium Consociationis vulgo «Insieme per l'Europa» in urbe Monacensi.*

Cari amici di Insieme per l'Europa,

vi so riuniti a Monaco di Baviera in tanti Movimenti e Gruppi, provenienti da varie Chiese e Comunità, per il vostro incontro dal titolo: «Incontro - Riconciliazione - Futuro».

Avete ragione. È ora di mettersi insieme, per affrontare con vero spirito europeo le problematiche del nostro tempo. Oltre ad alcuni muri visibili, si rafforzano anche quelli invisibili, che tendono a dividere questo continente. Muri che si innalzano nei cuori delle persone. Muri fatti di paura e di aggressività, di mancanza di comprensione per le persone di diversa origine o convinzione religiosa. Muri di egoismo politico ed economico, senza rispetto per la vita e la dignità di ogni persona.

L'Europa si trova in un mondo complesso e fortemente in movimento, sempre più globalizzato e, perciò, sempre meno eurocentrico.

Se riconosciamo queste problematiche epocali, dobbiamo avere il coraggio di dire: abbiamo bisogno di un cambiamento! L'Europa è chiamata a riflettere e a chiedersi se il suo immenso patrimonio, permeato di cristianesimo, appartiene a un museo, oppure è ancora capace di ispirare la cultura e di donare i suoi tesori all'umanità intera.

Siete radunati per affrontare assieme queste sfide aperte in Europa, e per portare alla luce testimonianze di una società civile che lavora in rete per l'accoglienza e la solidarietà verso i più deboli e svantaggiati, per costruire ponti, per superare i conflitti dichiarati o latenti.

Studia theologiae vero eo suscipiente, primum totius mundi conflavit bellum, quapropter Servus Dei, in exercitu sese conscribere subactus, caporalis imposito gradu, infirmis curandis militibus destinatus est et addictus etiam fuit cappellani militum Domini Petri Ciriaci, qui postea Archiepiscopus, Apostolicus Nuntius et Cardinalis est nuncupatus. Deinde, illis resolutus officiis et ad monasterium Hildebrandus reditus, cursus theologiae apud Pontificiam Universitatem Studiorum Gregorianam in Urbe frequentavit et lauream in philosophia et theologia adeptus est et, die 29 mensis Octobris anno 1922, presbyteratu auctus.

Intra communitatem oneribus laboris pastoralis ad vocationes exquirendas commissus est et iuvenum probandorum atque professionis religiosae candidatorum lnstitutioni. Anno 1939, quadraginta quinque annum natus, Abbas Generalis Congregationis Silvestrinae Ordinis Sancti Benedicti electus, tanto hoc munere viginti annos functus est. Magna in difficillimis adiunc-

tis secundi totius mundi belli tempore mandatus sui gessit opera, quorum gratia amplioris peregre diffusionis eiusdem familiae religiosae substruxit fundamenta. Pater Hildebrandus interdum perrexit adauxitque navitates, quibus omnis vero conversatio eius iam antea emicuerat, praedicationem scilicet ac moderationem spiritualem multarum animarum et praesertim diversorum, qui exinde Servi Dei facti sunt.

In annis post secundum totius mundi bellum aliquos pauperes ac derelictos collegit pueros, quibus summa benignitate subvenit et tanti eius apostolici iamiam eo patuerunt labores, ut e primo coetu quodam Opus eius opitulationis nasceretur, pro qua regenda Pater Hildebrandus Congregationem Sororum Sancti Benedicti Reparatricum a Sancto Vultu Domini Nostri Iesu Christi, anno 1977 ab Apostolica Sede recognitam, cuius officia etiam in infirmos, qui longioribus adstringerentur curis, prolata sunt.

Iter spirituale Servi Dei inde ab institutione apud larem recepta assiduam adusque Regulae S. Benedicti observantiam atque uberem dein navitatem pastoralem et dilatatam caritatem purissima simplicitate enituit. Vir ingenio fecundo instructoque atque actuoso una et suavi suffultus, Pater Hildebrandus sese numquam operi gratiae retraxit et omnia ad apostolatus instrumenta innovanda prosequi valuit calcaria. Omnibus in adiunctis, et in angustiis etiam bellorum, Domino confisus est et signa temporum intellexit, quo magis magisque fratribus ministraret et Evangelii mandata iugiter et Ecclesiae servaret.

Necessitatibus omnium sive intra moenia communitatis sive in societate mirabiliter intentus, Servus Dei modestia ac temperantia vixit; fide exarsit necnon erga Beatam Mariam Virginem devotione et constanti orationis contemplationisque spiritu. Interiorem hominem mysterio Verbi incarnati innixus est et Eucharistiam summopere coluit, in celebranda Missa viscera dilectionis suae in Deum, fontem et culmen vitae suae, omnimodis extollens. Homo fuit atque institutor in seipsum admodum austerus, in proximum autem indulgens et benignus. Silvestrinorum monachorum plenam et integram exemplo et opere suo informavit generationem.

Post diutinum et asperum morbum, Servus Dei die 12 mensis Novembris anno 1985, nonaginta unum annos natus, in alma Urbe pie in Domino quievit, magna sanctitatis fama circumfusus.

Ob tantam famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Vicariatum Urbis inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 5

mensis Decembris anno 1992 ad diem 3 mensis Iulii anno 2007, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatane de Causis Sanctorum primum die 30 mensis Ianuarii anno 2009 probatae sunt.

Positione confecta, die 30 mensis Ianuarii anno 2014 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 4 mensis Novembris anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Hildebrandi Gregori (in saeculo: Alaphridi Antonii), olim Abbatis Generalis Congregationis Silvestrinae Ordinis S. Benedicti et fundatoris Congregationis Sororum S. Benedicti Reparatricum a Sancto Vultu Domini Nostri Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TAURINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Silvii Dissegna Pueri (1967-1978)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Laudate, pueri Domini, laudate nomen Domini» (*Ps* 112, 1).

Praeceptum hoc antiqui psalmistae Israelis aetati callide adhaeret Servi Dei Silvii Dissegna, qui brevi tempore duodecim modo annorum vere Dominum plenius valuit laudare.

Servus Dei die 1 mensis Iulii anno 1967 Monte Calerii prope Augustam Taurinorum in Italia, primogenitus ex filiis Octavii et Gabriellae Martignon coniugum, ortus est. Sub apte cohaesum adolevit larem, ubi parentes firma eundem simul et Carolum post annum natum fratrem christiana ornaverunt institutione ac disciplina, quam dein et scholae magistrae et catechistae paroeciae magis etiam cumularunt. Silvius ergo non modo vividus, sed bonus fuit puer, studii diligentia, mansuetudine et oboedientia eminens, qui amicos ludosque corporisque exercitationes lectionemque valde dilexit ac deambulationes. In posterum sane se, ut aliis rerum novarum agnitionis decus traderet, magistrum fieri expetebat.

Die 7 mensis Septembris anno 1975 primam Communionem in vico v. d. *Poirino* intra moenia cappellae familiari domicilio adnexae una cum fratre recepit. Silvius iam intimam vivebat necessitudinem cum Iesu privata oratione Missaeque hebdomadali participatione fidelitateque parva erga aetatis suae puerilis officia ac suavi candidaque benignitate in omnes suffultam.

Undecim annos natus, verno tempore anni 1978, saevo morbo aegrotavit, nec ullam medicorum sententia spem aluit salutis, cum tumorem ossium miserrime ipsi perspexissent. Coram his autem Silvius neque diffisus est neque ullomodo cessit, sed fide suffultus diutinam diramque Viam Crucis suam pulsavit Iesu cruce oneratus eidemque affixus omnino conformatus et cotidiana Communione eucharistica enutritus, cruciatus suos et vitam ipsam divino Patri pro salute iugiter offerens mundi. Suppeditatae quae sollicite fuerunt ad refrenandum morbum curae, praeter dolores, adusque septem tulerunt recessus in valetudinario Parisiensi illo eximii viri Gustavi Roussy nomini inscripto pro peculiaribus remediis quibuscumque tumoribus laboratis ministrandis. Servus Dei lumina vero et aures paulatim amisit,

non autem omnium conscientiam eventuum, cum morbus intellectus facultatem corripuisset nullam. Die 21 mensis Maii anno 1978, super sellam rotularum ope instructam iam coactus, una cum sociis in ecclesia paroeciali Poirinensi Confirmationis recepit sacramentum, cuius fortitudinis gratia summo suipsius patientiae testimonio Viam Crucis veram cum Iesu vivere et pro animarum salute passiones suas offerre valuit. Caritate provectus, voluntatem Dei ad imum suscipere voluit et ad Christi regni augmentum actuose conferre.

A die 4 mensis Iunii anno 1978 Communionem cotidie domi recipere quaesiit. Longis et pigris horis doloris illis die noctuque marialem coronam in manu tenens assidue orabat et, intercessionem Beatae Mariae Virginis invocans passionem suam pro Ecclesia, pro caris et universo mundo et peccatorum conversione iugiter offerebat. Vitas sanctorum atque parvolorum pastorum Fatimae petebat legendas et, cum amici atque noti pro adiuvanda familia collationem nummariam instituerunt, Silvius a parentibus rogavit, ut summam pro extruendo oratorio paroeciae largirentur. Admodum sibi conscius ac sacris mysteriis refectus, Servus Dei die 24 mensis Septembris anno 1978, in memoria Beatae Mariae Virginis a Mercede pie in Domino quievit.

Exsequiis insequenti die 26 mensis Septembris celebratis in ecclesia paroeciali Poirinensi triginta interfuerunt presbyteri concelebrantes sacris albis vestibus induti, qui sponte illuc congregati elatae iam admirationis praebuerunt testimonium. Exuviae eius apud coemeterium municipale repositae sunt. Vita huius adulescentuli Evangelii testis sancta citius post eiusdem mortem adeo pervulgata est, ut Silvius speculum pueri eximie recenseretur non modo morum causa, quibus aetatem suam vixit, sed propter evangelicam ipsam conversationem, qua infirmitatem et virtutes christianas in seipso suscepit.

Hanc ob celebratam sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Taurinensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 8 mensis Februarii anno 1995 ad diem 25 mensis Octobris anno 2001, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum primum die 8 mensis Novembris anno 2001 probatae sunt. *Positione* confecta, die 5 mensis Novembris anno 2013 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Octobris anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Silvii Dissegna, Pueri, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VALENTINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Marthae Aloisiae Robin Christifidelis Laicae Fundatricis Consociationis V.d. «Foyers de Charité» (1902-1981)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sacratissimum Cor Iesu in Cruce affixi constituitur ut inviolabilis domus quam in terra elegi ».

Satis resumit haec sententia intimam vitam Servae Dei Marthae Robin: vita scilicet amore ac oblatione imbuta, necnon in Domini Sacratissimo Corde abscondita ad salutem mundi praesentis et futuri.

Serva Dei nata est die 13 mensis Martii anno 1902 in Gallia, ex pago exiguo v.d. *Châteauneuf de Galaure* apud Lugdunensem civitatem, in Valentinensi dioecesi. Omnem vitam suam in humili praedio familiariter consummavit. Orta est ex familia christiana, sed iam satis a vita paroecciali seiuncta. Hic pagus enim, tamquam omnis ista regio, desertione fidei progrediente in isto tempore, ab antiecclesiali motu vehementer exercitabatur, quod animam Servae Dei valde affecit. Haec autem pia puella permansit et fortiter Prima Communione signata est sicut primo gradu in unionem cum Christo. Paulatim, ut videtur, de vita religiosa amplectanda cogitabat.

Tunc in aetate sedecim annorum, morbus malignus eam attinxit. A gravisssima pathologia encephalitiae cruciata est, quae tantum horribilis quantum in illo aevo ignorata erat. Dolores permulti et immoderati, qui nullo modo minueri poterant. Fuerunt quidem horae in quibus illa moritura credita est. Membrorum suorum delibilitatis causa, retinebatur in pago a *influentia Hispanica* experiri, a qua ingentia millia tum ubique occidebantur. Cum Martha contagiosa reputata esset, a nemine visitabatur et per longos annos in dura solitudine vixit. Secreta et afflicta, nullam spem futuram ratione humana fauste exeogitare poterat.

In hac perardua positione, tamen, Martha, sicut accidit per nonnullas personas invalidas, rationes vivendi investigabat spem reponens in Deo, qui solus sensum ad tantas aegritudines afferrendum valeret. Anno 1925, in aetate annorum viginti tres, Deo se omnino oblavit. Deinde anno 1928, per missionem paroecialem, sicut « effusionem Spiritus Sancti » accepit et intellexit quod aegritudo fecunda fieri posset dummodo dolorem una cum

Christo in cruce affixo patiretur: vero humana persona etiam morbo gravi afflicta ad mundum salvandum laborare valet. Dehinc vitam suam propriam eligendam et non solum sustinendam vountarie optavit.

Sequentibus mensibus et annis, unione cum Christo cracifixo augente, etiam varias mysticas gratias peregit, scilicet unamquemque hebdomadam Passionem Christi experiebat atque stigmata vulnerum Iesu accepit. Insuper speciale cum Beata Virgine Maria commercium familiariter retinebat. Omnibus iis phaenomenis perturbata, feliciter adiuvata est a sacerdotibus variis et in primis a libris qui eam confortaverunt.

Eodem tempore mens eius largius dilatata, quia Martha, bona fama ampliante, frequentius visitata est ab hominibus variis qui non solum pie confidebant in precibus eius sed etiam consilia quaerebant. Serva Dei quidem mirabile iudicium manifestabat ut prudentia et eximia memoria coadiuvata tantis hominibus in permultis et impeditis casibus auxiliaretur. Itaque nomen eius tam in regione v.d. *Drôme* quam in civitate Lugduni denuo diffundebatur.

Anno 1936 visitata est a Rev.do Canonico Georgio Finet, presbytero Lugdunensi. Serva Dei nempe eum missum a Deo fuisse subito intellexit ut, eodem sacerdote auxiliante, fieret opus quod Dominus in mente eius ex aliquo tempore iniecerat, scilicet fundatio «Domus Caritatis» v. d. *Foyers de Charité*. Hoc opus, ab anno 1934, sustentatum est a precibus alumnorum localis scholae elementaris. Deinde Canonicus Finet, inspiratus et edoctus a Martha, initiavit in pago *Châteauneuf* praedicationem exercitiorum spiritualium per sex dies continuos, quae cito properos exitus consequerunt. Plurimi christifideles laici ad servitium tam scholae quam exercitiorum sponte sua advenerunt. Sic hoc modo prima «Domus» creata est. Ultimo, in die obitus Marthae, erant circa quinquaginta Domus per orbem terrarum effusae et aggregantes circiter sescenti sodales Operis, quod tum ut Institutum erat valde prosperum propter ingentem numerum conversionum et plurimas vocationes ex eo ortas ad beneficium totius Ecclesiae.

Martha Robin centrum exstabat totius Operis, sed etiam ad novas Domus erigendas iudicium multum caute adhibuit. Auctoritas Servae Dei magni momenti habebatur pro aliquibus sexaginta hominibus utriusque sexus qui, exercitiis spiritualibus decurrentibus, eam quotidie audiebant. Inter eos enim saepe inveniebantur multi episcopi et innumeri sacerdotes. Fundatores et fundatrices institutorum vitae consecratae quae erecta sunt post bellum orbis terrarum secundum sed etiam postea novarum communitatum institutores

adiuvit. Plurimos qui eam visitaverunt illuminavit. In hoc quidem insuavi aevo pro Ecclesia in Gallia, praesertim post Concilium Vaticanum II, per multos sicut fultura exstabat, stabilis et tranquilla permanens.

Martha Robin vere enitet non solum ut apostola «Novae amoris Pentecosti» ut aiebant Servus Dei Pius XII et Sanctus Ioannes XXIII, sed etiam ut praeco «Novae Evangelizationis» secundum vocabulum a Sancto Ioanne Paulo II adhibitum. Illa, ex antiqua christiana societate proveniens, cito percepit christianismum temporis sui renovandum esse. Serva Dei virtutibus humanis instructa erat ex agresti societate in qua educata, scilicet veritas rerum, intellectum actuosum ac fortitudo mentis. Progrediens in his virtutibus cor eius a gratia divina alitum est ut vitam coniunctam cum Christo et cum Maria Virgine ad servitium Ecclesiae ageret. Namque insigne vitae spiritualis gradum attigit. Numerosis enim physicis ac spiritualibus asperitatibus necnon contradictionibus assidue affluentibus, fortitudinis donum eximio modo manifestavit. Ex spirituali unione cum Deo conspicuam caritatem in cor suum recepit et tradidit singulis et cunctis animis. A virtute prudentiae et dono consilii mota, amorem et commiserationem constanter demonstravit in omnibus ut sane manifestaretur sicut «spei prophetissa». Intime coniuncta cum Sacratissimo Corde Iesu in Cruce affixi, non ex seipsa vivebat et agebat, sed in Christi sacrificio defixa offerebat omnia quorum particips erat. Incessanter visitatores invitabat ut sese offerent Deo cum his verbis: «Maxime, nolite oblationem negligere!»

Ratione famae sanctitatis, Inquisitio dioecesana inita est in Curia Valentinensi a die 2 mensis Februarii anno 1988 usque ad diem 27 mensis Maii anno 1996, cuius iuridica validitas ab hac Congregatane agnita est Decreto lato die 24 mensis Aprilis anno 1998. *Positione* expleta, secundum consuetam disciplinam disputatum est de heroico gradu Servae Dei virtutum. Positivo cum exitu die 11 mensis Decembris anno 2012 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est. Die 21 mensis Octobris anno 2014 Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria, a meipso Angelo Cardinale Amato moderata, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales et annexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate*

tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Marthae Aloisiae Robin, Christifidelis Laicae et Fundatricis Consociationis v. d. «Foyers de Charité», in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 4 Iulii 2016. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Dominici, Exc.mum D. Franciscum Ozoria Acosta, hactenus Episcopum Sancti Petti de Macoris.

die 11 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Reginatensi, Exc.mum D. Donaldum Bolen, hactenus Episcopum Saskatoonensem.

die 13 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Nazarensi in Brasilia, Exc.mum D. Franciscum de Assis Dantas de Lucena, hactenus Episcopum Guarabirensem.

— Cathedrali Ecclesiae Sanctae Crucis in Brasilia, Exc.mum D. Aloisium Albertum Dilli, O.F.M., hactenus Episcopum Uruguaianensem.

die 14 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Chalatenangensi, R.D. Osvaldum Stephanum Escobar Aguilar, O.C.D., hactenus Praesidem Conferentiae Salvatoriae Religiosorum.

die 15 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ferdinandi Apurensi, Exc. mum D. Alfredum Henricum Torres Rondón, hactenus Episcopum titularem Sassuritanum et Auxiliarem archidioecesis Emeritensis in Venetiola.

die 20 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Votuporangensi, noviter erectae, R.D. Moacir Aparecido de Freitas, e clero dioecesis Sancti Caroli in Brasilia, ibique paroeciae Sanctae Teresiae a Iesu, in civitate vulgo dicta Ibitinga, Parochum.

die 25 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Kidapavanensi, Exc.mum D. Iosephum Colin Mendoza Bagaforo, hactenus Episcopum titularem Vazaritanum Diddensem et Auxiliarem archidioecesis Cotabatensis.

die 29 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Laoniensi, R.D. Fintanum Monahan, e clero archidioecesis Tuamensis, hactenus ibi Secretarium dioecesanum.

ACTA TRIBUNALIUM

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Litterae circulares de Statu et activitate Tribunalium.

Inter Munera, quae huic Supremo Tribunali tribuuntur, officium eminet consulendi ut iustitia in universa Ecclesia recte administretur.[1]

Quod officium extollit constitutio apostolica *Regimini Ecclesiae universae* a beato Paulo VI promulgata, quae in una Signatura Apostolica sollicitudinem pro omnibus causis et Tribunalibus colligere statuit.[2] Ad quam innovatam competentiam in actum redigendam, statim, anno nempe 1970, hoc Supremum Tribunal litteras circulares edidit de Tribunalium ecclesiasticorum statu et activitate (AAS 63 [1971] 480-486), quibus schema quoque adnectebatur annualis conficiendae relationis de statu et activitate uniuscuiusque Tribunalis.

Quinquaginta fere annis a normis de statu et activitate Tribunalium editis transactis, tot tantisque immutationibus et innovationibus in Ecclesia eiusque lege ac compage intervenientibus, opportunum persentiebatur illas normas ac schema revisioni subicere ac denuo edere,

Quae normae potissimum rationem habere debent recentioris reformationis canonum utriusque Codicis de causis ad matrimonii nullitatem declarandam per binas Litteras Apostolicas motu proprio datas, *Mitis Iudex Dominus Iesus* scilicet et *Mitis et misericors Iesus*.

[1] Cf. can. 1445, § 3 CIC; Ioannes Paulus II, Constitutio apostolica *Postar bonus,* 28 iunii 1988, artt. 121 et 124, in AAS 80 (1988) 891, 892; Benedictus XVI, Litterae apóstolicae motu proprio datae *Antiqua ordinatione*, 21 iunii 2008, *Lex propria Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis,* artt. 32; 35 et titulus V: *De administrativa ratione procedendi* in AAS 100 (2008) 521, 522, 535-538.

[2] Paulus VI, Constitutio apostolica *Regimini Ecclesiae universae*, 15 augusti 1967, n, 105, in AAS 59 (1967) 92L Quoad officium invigilandi antea Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum concreditum, cf. Litterae circulares *In Plenariis*, 1 iulii 1932, in AAS 24 (1932) 272-274; constitutio Officii vigilantiae apud idem Dicasterium, 24 mai 1939.

I

Inter criteria fiindamentalia novissimae reformationis iuris processualis principium eminet novum antiquumque de originario munere iudiciali Episcopi in Ecclesia particulari exercendo: « Ut sane Concilii Vaticani II in quodam magni ponderis ambita documentum ad effectum tandem ducatur, decretum est palam proferri ipsum Episcopum in sua Ecclesia, cuius pastor et caput constituitur, eo ipso esse inter christifideles sibi commissos iudicem ».[3]

Quae dicuntur de munere iudiciali pari ratione intellegenda sunt de munere Episcopi rectae administrationi iustitiae in Ecclesia particulari invigilandi:[4] cuius officii revera Romani Pontifices iterum iterumque haud veriti sunt claris litteris memorari, occasione praesertim annualium allocutionum Rotae Romanae Tribunali habitarum.[5]

Ob arctum ac nativum communionis vinculum inter Episcopos et Romanum Pontificem, Successorem Petri, munus iudiciale Episcoporum in Ecclesiis particularibus indissolubiliter cohaeret muneri Petrino, ad Episcoporum munus firmandum eique consulendum nato; nam Episcopi, asseritur in bini memoratis Litteris Apostolicis, cum Romano Pontifice sunt « muneris Ecclesiae participes, unitatis nempe tutandae in fide ac disciplina de matrimonio, familiae christianae cardine et scaturigine ».[6]

Ex quo Petrino munere descendit huius Signaturae Apostolicae munus, consulendi nempe ut in universa Ecclesia iustitia recte administretur; quo munere sibi concredito hoc Supremum Tribunal exinde fungi voluit et vult « non ea mente ut omnia ad se unum deferat, sed ut fraternum auxilium

[3] Franciscus, Litterae apostolicae motu proprio datae *Mitis Index Dominus Iesus*, 15 angusti 2015, prooemium,, HI, in AAS 107 (2015) 959-960; Franciscus, Litterae apostolicae motu proprio datae *Mitis et misericors Iesus*, 15 augusti 2015, prooemium, in AAS 107 (2015) 947.

[4] Cf. Supremum slgnaturae Apostolicae Tribunal, Litterae circulares *Visis actis*, 24 iulii 1972; Instructio *Dignitas connubii*$_9$ 25 ianuarii 2005, art. 38, § 4; Congregatio pro Episcopis, *Directorium ministerii pastoralis Episcoporum «Apostolorum Successores»*, 22 februarii 2004, nn. 68 et 180.

[5] Cf., exempli grafia, Ioannes Paulus II, *Allocutio ad Rotae Romanae Tribunal anno iudiciali ineunte*, 29 ianuarii 2005, n. 4, in AAS 97 (2005) 165.

[6] Franciscus, Litterae apostolicae motu proprio datae *Mitis ludex Dominus Iesus*, 15 augusti 2015, prooemium, in AAS 107 (2015) 959; cf. etiam Franciscus, Litterae apostolicae motu proprio datae *Mitis et misericors Iesus*, 15 augusti 2015, prooemium: « Qui in fide et disciplina unitati catholicae cum Petro ob suum pastoris munus quam maxime cavet » (AAS 107 [2015] 948).

Tribunalibus Episcoporum afferat, et eisdem, per orbem terrarum dispersis, in bonum animarium servitium praestet per rectam iustitiae administrationem ».[7]

II

Promovendae administrationis iustitiae cura, ut par est, requirit scientiam seu notitiam de statu et activitate Tribunalium sive apud Episcopos Moderatores sive apud Signaturam Apostolicam.[8]

Qua de re omnia et singula Tribunalia, sive dioeeesana vel eparchialia sive interdioecesana vel intereparchialia, sive Ecclesiae latinae sive Eeclesiarum orientalium, relationes de statu et activitate Tribunalis quotannis conficere debent, a Vicario iudiciali subscribendas, iuxta exemplar seu schema in adnexo positum.

Quod schema attente et accurate complendum est ac dein sub tribus exemplaribus redigendum, quorum primum Episcopo Moderatori tradendum est, secundum ad hoc Supremum Tribunal mittendum, tertium, autem, in tabulario Tribunalis asservandum.

Exemplar huic Supremo Tribunali mense ianuario quotannis transmittendum est, prout casus ferat, per cursum electronicum vel per officium cursus publici vel per Legatos Pontificios, vel etiam exemplar apud Signaturae Apostolicae Cancellariam tradendo.

Cui exemplari utiliter adduntur animadversiones Vicarii iudicialis, praesertim:

1) de investigationibus praeviis seu pastoralibus de quibus in artt. 2-5 Rationis procedendi memoratis binis Litteris Apostolicis adiectae;

[7] Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, Litterae circulares *Inter cetera,* 28 decembris 1970, n. 5, in AAS 63 (1971) 482.

[8] Cf. Benedictus XVI, *AUocutio ad Plenariam Sessionem Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae,* 4 februarii 2011, in AAS 103 (2011) 116: «Ciò comporta tra l'altro, come la *Lex propria* indica, l'aggiornata raccolta di informazioni sullo stato ed attività dei tribunali locali attraverso la annuale relazione che ogni tribunale è tenuto ad inviare alla Segnatura Apostolica; la sistemazione ed elaborazione dei dati che da essi pervengono; l'individuazione di strategie per la valorizzazione delle risorse umane e istituzionali nei tribunali locali nonché l'esercizio costante della funzione di indirizzo rivolta ai Moderatori dei tribunali diocesani e interdiocesani, ai quali compete istituzionalmente la responsabilità diretta per l'amministrazione della giustizia. Si tratta di un'opera coordinata e paziente, volta soprattutto a fornire ai fedeli un'amministrazione della giustizia retta, pronta ed efficiente».

2) de sectionibus instructoriis institutis eorumque ordinatione;

3) de immutationibus quoad Tribunalium ordinationem forte introductis;

4) de normis latis iisque servatis, quae expensas processuales, honoraria advocatorum et gratuitum patrocinium regunt;[9]

5) de ministris Tribunalis efformandis deque inceptis in loco exstantibus sive quoad permanentem eorum institutionem sive quoad titulos academicos ab iisdem obtinendos;

6) de rebus notabilibus in re iudiciali apud Tribunal intervenientibus.

In schemate infra proposito referri quoque debet de sententiis in processibus matrimonialibus brevioribus coram Episcopo latis, quippe qui per easdem munus iudiciale exerceat, dum idem processus matrimonialis brevior – iuxta normas nuper latas – per nexum inextricabilem cum Tribunali dioecesano vel eparchiali aut interdioecesano vel intereparchiali conectitur.[10]

III

Relatione de statu et activitate Tribunalis recepta atque rimata, Signatura Apostolica animadversiones ad rem pro unoquoque Tribunali promit, quae ad Episcopos Moderatores mittuntur ut de iisdem videant, si opus est, provideant ac dein, si casus ferat, referant. Dialogus, proinde, intexitur inter primum rectae iustitiae administrandae sponsorem, Episcopum nempe Moderatorem, et Signaturam Apostolicam, repraesentantem sollicitudinem ipsius Antistitis Supremi.

Praefatae ammadversiones plura complectuntur, prout casus ferat: laudes, approbationes, commendationes, consilia, suggestiones, suasiones, monita, exempla, nuntii, vota et hortamenta; quae omnia, uno verbo, auxilio seu assistentiae sunt Tribunalibus, salva semper iudicum libertate in decisionibus ferendis.

[9] Cf. cann. 1649 CIC et 1334-1336 CCEO.

[10] Cf. Franciscus, Litterae apostolicae motu proprio datae *Mitis Index Dominus Iesus,* 15 augusti 2015, can. 1676 et art. 19 *Rationis procedendi*, in AAS 107 (2015) 962-963, 970; Franciscus, Litterae apostolicae motu proprio datae *Mitis et misericors Iesus,* 15 augusti *2015,* can. 1362 et art. 19 *Rationis procedendi*, in AAS 107 (2015) 950, 957.

Quibus relationibus super statu et activitate Tribunalium nisa, Signatura Apostolica suum potest officium competentius obire, praesertim dispensationes a titulo academico pro ministris Tribunalium rationabilius elargiendas considerare; suggestiones de normis opportunioribus apparandis promere; sententias causarumve acta petere atque examini subicere ad rectam iurisprudentiam tuendam;[11] occursus cum Episcopis Moderatoribus parare sive coniunctim ad limina statutis temporibus accedentibus sive singulatim quoties necessarium vel utile appareat; conexionibus inter Tribunalia toto orbe terrarum dispersa in bonum Christifidelium favere; notitias Dicasteriis Curiae Romanae necessarias vel exoptatas praebere de exsistentia, ordinatione atque actuositate Tribunalium.

Vigilantia, quam Supremum Tribunal exercet, iuxta normas editas, iuxta sanum subsidiarietatis principium et potissimum iuxta divinam Ecclesiae constitutionem more solito fit per Episcopos Moderatores. Si opus sit interventum – certioribus semper factìs Episcopis Moderatoribus ex parte Signaturae Apostolicae, hoc plerumque evenit si ipse interventus ad plura Tribunalia extendatur, vel ab ipsis Episcopis Moderatoribus requiratur, vel tandem aliquando, omnibus perpensis, ipse interventus urgeat.

Quae vigilantiae actio, sub quacumque forma effecta, conspirationem supponit Episcoporum Moderatorum ac ministrorum Tribunalium, in quorum bonum efficitur.

***

Communio communicatione vivit et communicatio communioni inservit: quo super remoto fundamento ratio exstat relationum super statu et activitate Tribunalium. In votis est ut huiusmodi relationes sive Episcopis

[11] Cf. Benedictus XVI, *Allocutio ad Plenariam Sessionem Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae* 4 februarii 2011, in AAS 103 (2011) 117: « La vigilanza sulla retta amministrazione della giustizia sarebbe però carente se non comprendesse anche la funzione di tutela della retta giurisprudenza. Gli strumenti di conoscenza e di intervento, di cui la *Lex propria* e la posizione istituzionale provvedono codesta Segnatura Apostolica, permettono un'azione che, in sinergia con il Tribunale della Rota Romana, si rivela provvidenziale per la Chiesa. Le esortazioni e le prescrizioni con le quali codesta Segnatura Apostolica accompagna le risposte alle Relazioni annuali dei tribunali locali non infrequentemente raccomandano ai rispettivi Moderatori la conoscenza e l'adesione sia alle direttive proposte nelle annuali allocuzioni pontificie alla Rota Romana, sia alla comune giurisprudenza rotale su specifici aspetti che si rilevano urgenti per i singoli tribunali ».

Moderatoribus sive Signaturae Apostolicae adiutorium praebeant in proprio munere apte exercendo.

Datum Romae, in Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 30 iulii 2016.

Dominicus Card. Mamberti
Praefectus

Franciscus Daneels, o.praem
Archiepiscopus tit. Bitensis
A secretis

Iosephus Sciacca
Episcopus tit. Fundanus
Secretarius Adiunctus

L. ✠ S.
Prot. n. 51712/16 VT

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre ha compiuto un Viaggio Apostolico in Polonia in occasione della XXXI Giornata Mondiale della Gioventù nei giorni 27-31 luglio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

9 luglio 2016 S.E.R. Mons. Michael W. Banach, Arcivescovo tit. di Memfi, finora Nunzio Apostolico in Senegal e Delegato Apostolico in Mauritania, *Nunzio Apostolico in Cabo Verde*.

» » » S.E.R. Mons. Franco Coppola, Arcivescovo tit. di Vinda, finora Nunzio Apostolico nella Repubblica Centrafricana e in Ciad, *Nunzio Apostolico in Messico*.

30 » » S.E.R. Mons. Francisco Montecillo Padilla, Arcivescovo tit. di Nebbio, Nunzio Apostolico in Kuwait, Bahrein e negli Emirati Arabi Uniti e Delegato Apostolico nella Penisola Arabica, *Nunzio Apostolico nello Yemen*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

31 maggio 2016 L'Ill.mo Prof. Robert Eric Betzig, Professore di Fisica Applicata e Gruppo Leader al *Janelia Research Campus* del *Howard Hughes Medical Institute* in Ashburn, VA (Stati Uniti d'America), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze*.

11 luglio » L'Ill.mo Dott. Greg Burke, finora Vice Direttore della Sala Stampa della Santa Sede, *Direttore della medesima Sala Stampa, per un quinquennio*, con decorrenza dal 1°agosto 2016.

» » » L'Ill.ma Dott.ssa Paloma García Ovejero, *Vice Direttore della Sala Stampa della Santa Sede, per un quinquennio*, con decorrenza dal 1°agosto 2016.

Il Santo Padre ha adottato i seguenti provvedimenti nella Congregazione per l'Educazione Cattolica:

— ha annoverato "*ad quinquennium*" tra i Consultori: gli Eccellentissimi Monsignori Victor Manuel Fernández, Rettore della Pontificia Università Cattolica di Buenos Aires, e Bernard Anthony Hebda, Arcivescovo di Saint Paul and Minneapolis; i Rev.di Mons. Josef Ammer, Vicario Giudiziale nella Diocesi di Regensburg, Mons. Antoni Zurek, Docente presso la Facoltà Teologica di Tarnów, Sac. Andrea Toniolo, Responsabile del Servizio Nazionale per gli Studi Superiori di Teologia e di Scienze Religiose della Conferenza Episcopale Italiana, P. Pedro Aguado Cuesta, Sch. P., Preposito Generale degli Scolopi, P. Daniel Patrick Huang, S.I., Assistente Regionale per l'Asia Pacifica, P. Ulrich Rhode, S.I., Docente alla Pontificia Università Gregoriana di Roma, P. Benôit-Dominique de La Soujeole, O.P., Docente alla Facoltà Teologica di Fribourg, Fr. Juan Antonio Ojeda Ortiz, F.S.C., Vice Presidente dell'O.I.E.C., Sr. Giuseppina Del Core, F.M.A., Preside dell'"Auxilium" di Roma; gli illustrissimi Signori: Prof. Gregory Craven, Vice-Chancellor della Australian Catholic University, Prof. Italo Fiorin, Docente alla LUMSA di Roma, Prof. Carlo Finocchietti, Direttore del "CIMEA" di Roma, Prof. Jan De Groof, Docente alla Facoltà di Giurisprudenza di Anversa, Prof. Angelo Paletta, Docente all'Università di Bologna, Prof. Juan Carlos Torre Puente, Docente alla Pontificia Università "Comillas", Prof. Antonio Barbas Homem, Direttore del "Centro de Estudios Juridicos" di Lisbona, Prof. Roberto Zappala, Direttore dell'"Istituto Gonzaga" di Milano, Prof.ssa Julia Maria González Ferreras, Docente alla "Universidad de Deusto";

— ha confermato «*in aliud quinquennium*» Consultori del suddetto Dicastero i Rev.di Mons. Guy-Réal Thivierge, Sac. Bernhard Korner, Sac. Javier Canosa Rodriguez, P. Franco Imoda, S.I., e gli illustrissimi Prof. Giuseppe Dalla Torre e Sig. Étienne Verhack.

12 luglio 2016 L'Ecc.mo Mons. Giovanni Angelo Becciu, Arcivescovo tit. di Roselle, Sostituto della Segreteria di Stato per gli Affari Generali, *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede, per un altro quinquennio*.

16 » » L'Ecc.mo Mons. Giuseppe Sciacca, finora Segretario Aggiunto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *Segretario del medesimo Supremo Tribunale*.

20 » » L'Ill.mo Dott. Marco Buonocore, *Presidente della Pontificia Accademia Romana di Aercheologia, per un ulteriore quinquennio.*

20 » » Il Rev.do Sac. Hubertus R. Drobner, Docente di Storia della Chiesa e Patristica nella Facoltà Teologica di Paderborn,

e gli Illustrissimi Professori: Michel-Yves Perrin, Docente di Storia e Dottrina del Cristianesimo all'*École Pratique des Hautes Études* di Parigi, Danilo Mazzoleni, Rettore del Pontificio Istituto di Archeologia Cristiana di Roma, Matteo Braconi, Docente di Archeologia Cristiana all'Università "Roma Tre" di Roma, Paola De Santis, Docente di Archeologia Cristiana all'Università di Bari, *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra, "ad quinquennium"*.

25 luglio 2016 L'Ill.mo Prof. Paolo Carozza, Docente di Diritto e Scienze Politiche presso la *University of Notre Dame* di Notre Dame, IN (Stati Uniti d'America), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali.*

27 » » L'Em.mo Sig. Card. Agostino Vallini, Vicario Generale di Sua Santità per la Diocesi di Roma, "usque ad octogesimum annum"; l'Em.mo Sig. Card. Juan Luis Cipriani Thorne, Arcivescovo di Lima, e l'Ecc.mo Mons. Giovanni Paolo Benotto, Arcivescovo di Pisa, "in aliud quinquennium", *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi.*

2 agosto » L'Ecc.mo Mons. Giorgio Corbellini, *Presidente della Commissione Disciplinare della Curia Romana, per un altro quinquennio*.

» » » Il Rev.do Mons. Mauro Rivella, Segretario dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, *Membro della Commissione Disciplinare della Curia Romana, per un quinquennio*.

» » » Il Rev.do Mons. Paolo Borgia, l'Ecc.mo Mons. Juan Ignacio Arrieta Ochoa de Chinchetru, il Rev.do Mons. Udo Breitbach, il Rev.do Mons. Luigi Misto *per un quinquennio*; e ha confermato, fino al compimento del 70° anno di età, la Gent.ma Dott.ssa Flaminia Giovanelli, *Membri della Commissione Disciplinare della Curia Romana*.

Il 12 maggio 2016 il Santo Padre, nel corso dell'incontro – svolto in forma di dialogo nell'Aula Paolo VI – con le partecipanti all'Assemblea Plenaria delle Superiore Generali, ha espresso l'intenzione di "costituire una commissione ufficiale che possa studiare la questione" del Diaconato delle donne, "soprattutto riguardo ai primi tempi della Chiesa". Dopo intensa preghiera e matura riflessione, Sua Santità ha deciso di istituire la Commissione di Studio sul Diaconato delle donne, chiamando a farne parte i seguenti:

— Presidente: Ecc.mo Mons. Luis Francisco Ladaria Ferrer, S.I., Arcivescovo tit. di Tibica, Segretario della Congregazione per la Dottrina della Fede;

— Membri: Rev.da Suor Nuria Calduch-Benages, M.H.S.F.N., Membro della Pontificia Commissione Biblica; Prof.ssa Francesca Cocchini, Docente presso l'Università «La Sapienza» e presso l'Istituto Patristico «Augustinianum»,

Roma; Rev.do Mons. Piero Coda, Preside dell'Istituto Universitario «Sophia», Loppiano, e Membro della Commissione Teologica Internazionale; Rev.do P. Robert Dodaro, O.S.A., Preside dell'Istituto Patristico «Augustinianum», Roma, e Docente di patrologia; Rev.do P. Santiago Madrigai Terrazas, S.I., Docente di Ecclesiologia presso l'Università Pontificia «Comillas», Madrid; Rev.da Suor Mary Melone, S.F.A., Rettore Magnifico della Pontificia Università «Antonianum», Roma; Rev.do Karl-Heinz Menke, Docente emerito di Teologia dogmatica presso l'Università di Bonn e Membro della Commissione Teologica Internazionale; Rev.do Aimable Musoni, S.D.B., Docente di Ecclesiologia presso la Pontificia Università Salesiana, Roma; Rev.do P. Bernard Pottier, S.I., Docente presso l'«Institut d'Etudes Théologiques», Bruxelles, e Membro della Commissione Teologica Internazionale; Prof.ssa Marianne Schlosser, Docente di Teologia spirituale presso l'Università di Vienna e Membro della Commissione Teologica Internazionale; Prof.ssa Michelina Tenace, Docente di Teologia fondamentale presso la Pontificia Università Gregoriana, Roma; Prof.ssa Phyllis Zagano, Docente presso la «Hofstra University», Hempstead, New York.

NECROLOGIO

9	giugno	2016	Sua Em.za Rev.ma il Card. Silvano Piovanelli, del titolo di Santa Maria delle Grazie a via Trionfale.
2	luglio	»	Mons. Irineu Roque Scherer, Vescovo di Joinville (*Brasile*).
6	»	»	Mons. Michel Coloni, Arcivescovo em. di Digione (*Francia*).
10	»	»	Mons. James Pazhayattil, Vescovo em. d'Irinjalakuda dei Siro-Malabaresi (*India*).
11	»	»	Mons. Nándor Jusztin Takács, O.C.D., Vescovo em. di Székesfehérvár (*Ungheria*).
12	»	»	Mons. Frederick D'Souza, Vescovo em. di Jhansi (*India*).
»	»	»	Mons. Zygmunt Zimovski, Presidente del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari.
14	»	»	Mons. Athanasius A Usuh, Vescovo em. di Makurdi (*Nigeria*).
15	»	»	Mons. Jérôme Owono-Mimboe, Vescovo em. di Obala (*Camerun*).
18	»	»	Mons. Nikolaus Messmer, S.J., Amministratore Apostolico del Kyrgyzstan (*Kyrgyzstan*).
2	agosto	»	Sua Em.za Rev.ma il Card. Franciszek Macharski, del titolo di San Giovanni a Porta latina (*Polonia*).
3	»	»	Mons. Mansueto Bianchi, già Vescovo di Volterra e di Pistoia, Assistente Generale dell'*Azione Cattolica Italiana*.
»	»	»	Mons. James Martin Hayes, Arcivescovo em. di Halifax, NS (*Stati Uniti d'America*).